, cum
re, & Corpus
ns, cum
Evang
In Festo Epiph.
com.
sequ-
com.
27 Sabb

[redacted]

10 // 15 c. // 15

50
50

Dis ge[illegible]
und nicht fort-
gelassen

ASCENSVS SOLEATÆ ALITIS

é Cineribus Franciscanæ Religionis

AD

JLLVSTRISSIMOS INFVLATI HONORIS SPLENDORES,

ILLVSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI,

D. CHRISTOPHORI ADRIANI DE ROZNOW SKRZETUSKI,

EPISCOPI BACCHOVIENSIS,

ex Ordine Fratrum Minorum Sancti FRANCISCI Conventualium

ASSUMPTI.

ipsô suæ Consecrationis die Mensis

à Studio Theologico Cracoviensi ejusdem Ordinis

submissâ Panegyri

ADORNATVS.

anno, è splendoribus Cæloru ad terram DesCendentis (per Quem neC ales esurit) Xti iEsV.

Cum licentia Præsidis ac Mecænatis Franciscano Polonarum Musarum A. R. P. Magistri LVDOVICI ELBING *Ministri Provincialis Cõmissarij Gnalis.*

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Jllustrissimi & Rndissimi Dni Episcopi Cracov: Ducis Severiæ, ac Scholarũ Novodvorscianarũ Chalcographi.

IN GENTILITIUM JLLUSTRISSIMI STEMMA.



A les magnifico pridem splendore corusc A
L *igno* cum *Solea*, quæ decorata, vigi L
E volat, in Cælis *Scretuscia* nomina mill E
S cribit & imprimîs, Te notat *Alme Paren* S.

JLLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO
ANTISTITI.
CARMEN ACROSTICON.

C *uncta Tui Ascensûs celebrare cacumina done* C
H *ectorei valeam; placeat deducere Iosep* H
R *eligiosum: quô rectè Tua facta leguntu* R
I *s pius, addictum, sentimus Te pietat* I
S *parsos se venerandos conspicit ille maniplo* S
T *e Patrem, noster concors affectus adora* T
O *cyùs Ægyptus Joseph circumdata Nil* O
P *roregem novit; nos non narramus ut Æso* P
H *umanè nostrum legimus nos Te Câuriac* H (a)
O *Sacra Regna Iovis stillantia lumine sacr* O
R *ectè* Christophorus *Joseph videatis en alte* R
V *tiliter Superi, donetis tempora quæst* V
S *alvos* Ascensus *Antistitis ut celebremu* S.

A *lmum Ießiadis facinus conscendit in Astr* A
D *eclamabo! Tuum Nomen præcelluit illu* D
R *itè Tuis celsis qvivis virtutibus impa* R
I *n Te vel teneri, vel florem ætatis agent* I
A *spicienda loqvax virtutis vivaquè form* A
N *obilis, Ipse Tui fecisti surgere Nome* N
V *itis es, & comples* Scretuscia *limina fruct* V
S *ursum conscendis nudos sectando* Minore S.

(a) Princeps Numidarũ, sic vocabatur à suis.

S *acræ heus Mæonides properantes accelereti* S
C hordigerum *en* Adrianum *noſtrum cernite, iam nun* C
R *ecreat ingreſſu Fratres, lætatur & Æther* R
E *xultans modulatur, vivas ó ADRIAN* E
T *erpſichore ſapiens ;* Pallas Scotiſtica *gaude* T
V *iribûs immensîs tanto depreſſaquè part* V
S *anè Religio profundit gaudia plausû* S
C *arius* Aſcendis, *quærens terram Latiam, illi* C
I *nſigni titulo celebris decorata Magiſtr* I
V *elox colla tenes, nam perfectiſſima ſenſ* V.
S *plendidus in Patriam remigras dum, culmen honori* S

A *ccipis: Aonia Prolem Tritonide Sacr* A
N *oſtram implendo; Tuo quæ duxit pectore flume* N
T *am miræ doctrinæ, quam modó tempora noſcun* T.
I *n majus decus* Aſcensûs *Lithvanica Sacr* I
S *ummi* Commiſsarium, *humus novit* Generali S
T *e nos & florens Provincia noſtra videba* T
E *ximium Patrem,* Cracij *gremij* Caput, *atqu* E
S *at vigilem gnarumq́* Miniſtrum *Sarmatici Orbi* S.

B *ellâ voce vocatur ſupplantator Iaco* B:
A *roſea generis proprij miraquè juvent* A:
C *aram plantaſti Sobolem, famoſior iſthin* C
C *hriſtiadum numerus factus, Tu Major es illin* C:
H *ippolitum præfers, cælum conſcendis ut Enoc* H
O *rnaris modò dum mitrâ, lituô quòqvè Sacr* O
V *otîs, Te celebris læto* Bacchovia *vult* V
I *nviolabiliter recipit ; Te Regnaquè Lech* I
E *ncomiaſtæ!* Chriſtophorus Scretuſcius *ill* E
N *obilis in nunc* PRÆSVL, *Io! prædicite Pæa* N
S *acri dilecti Confratres Ordinis omne* S,
I *n decus* Aſcensûs, *feſtumquè trophæum,* Adrian I
S *ternite candoris flores, de pectore planti* S

V *nanimes;* PRÆSVL *valeat ſubſiſtere port* V
I *n nitido dicatis. Tu quòquè ſuſcipe noſtr* I
V *otum cordis, & ignoto quod fecimus auſ* V,
A *ltâ Præſuleâ, defende tuere, Minerv* A
T *e tenuis* Duns Scotiſtarum *turba repoſci* T.

Devinctiſsimum
Studium Theologicum Cracovienſe
D. D. D.

TRIUMPHUS I.

magnîs Majorum passibûs PROGREDIENS.

ANtequàm Tuos deducamus Aborigines, Tumq; SOLEATIS ALIS descendamus in *Ascensum*; coronata priùs quorundam desideria, & nostros erga Te velociores pennîs ducimus in triumpho affectus, *Illustrissime Domine*. Qvôlibet momentô felicem Tui expectabamus Inaugurationem, unicum qvadrantem Platonicô mensurantes annô; horas omnes in tædiosos sæculorum tractus distentas esse putabamus; anteqvàm Mercurium boni nuntium recepimus de Tua in *Episcopatum Bacchoviensem* Consecratione. Dies indies mutuò secum luctari credebantur; qvisnam illorum ad alternantis inter Philadelphicos Ordines *Prædicatorum* ac *Minorum* Tiaræ Sedem Te ducere possit? Inter hos tamen Iovis & Martis dies maximè conabantur hic trophæa, ille porrigenda sibi fulmina (cùm sit Minister fulminis Ales) Tibi parare. Mæsti qvodammodò decurrebant menses, qvia Tibi applaudere quilibet illorum volebat. *Ianuarius* cum suo Aqvatore, qvot guttas, tot gemmas in Tui effundere cupiebat ornamentum; *Februarius* etiam inter pisces licet elingves, nihilominus aliqvem Lucium ad conclusionem, vel Carpionem ad initium plausûs Tui laudatores parabat; cum cornuto Ariete *Martius* plenas ferebat laudis cornucopias, Bicornem Tuam sublimaturus Infulam, ex qvo jam non tam sublimi feries sidera vertice; verùm Maximus DEI Sacerdos in splendore vultûs Tui ad familiare cum *Summo Numine* accedes colloqvium; *Aprilis* in Tauro, omnem Tibi cælestium gratiarum roris pollicebatur pingvedinem; cum suis Geminis *Majus*, ad geminatos de Te *Ascensuro* primîs sui diebûs gaudebat, honores, id est *Bacchoviensis Cathedræ Illustrißimum & Reverendissimum*, venerabundus *Antistitem*; *Iunius* in Cancro, tardiori passu ad suas Te deducere conabatur ferias, calcatos jamGentilitiâ *Soleâ* retrò

Lucta desideriorũ.

B gra-

gradus laboris & honoris numeraturus; vota gravi rugitu proclamare anhelabat cum suo Leone *Iulius*; Augustalem corruscantis in Sole Virginis splendorem & nitorem adaptabat *Augustus*; *September* in Libris paginas Scientiarum qvas legisti, vel Tuam in omnibus æqvitatem ponderaturus erat; per Scorpionem *October*, quidquid noxium, quidquid infectum foret, tollere desiderabat; *November* cum suo Sagittario corda non fallaci jaculaturus arcu, in Tui iter arripiebat venerationem; *December* in Capro ad omnes exercebatur per regiones & pedes Poëtarum saltus. Omnibus tandem palmam præripuit hic Mensis, qui immensis de Tuis immensis palàm nũc gloriatur meritis, gaudijs. Omnes Añi partes inter se litigare videbantur, cuinam illarum cedere debuit solennis Tuæ Inaugurationis Pompa? Torrida *Æstas*, magìs ardebat desideriô Te videndi in Infula, qvàm proprijs caloribûs; *Autumnus* sperabat inter Vindemias Te *Illustrissimi* sangvinis murice rubentem Botrum in vinea Orthodoxæ Matris Ecclesiæ plantare; nivea *Hyems* suam canitiem venerabundam ad Tuas flectere plantas cupiebat. Optima Sors *Verni* temporis obtigit majestati; ubi omnem florum copiam in Tui Capitis legit Coronamentum. Persultabant Giganteo passu duras Alpes nostri affectus; refracta ad *Vaticanum Collem* suspiria cum lenioribus Zephyris ad nos revertebantur; taliq; aura jejuni pascebamur Chamaleontes, donec Romana expeditio ad *Bacchoviensem Tiaram* grato rumore, nostras subivisset aures. Ad Famam Tui *Ascensûs*, Celsissimus Princeps Severiæ, Illustrissimus & Reverendissimus Dominus CASIMIRUS à Łubna ŁUBIENSKI, Episcopus Cracoviensis, Consecrator Tuus, libenter aures præbebat, & in hanc Consecrationem non solùm palmas, sed & *Gentilitium Caput* gratô inclinare, quàm citissimè cupiebat animô; Capitolium laudis Magno Tuo Nomini in Eodem erecturus. Illustrissimus & Reverendissimus Dominus MICHAEL à Słupow SZEMBEK, Episcopus Paphensis, Suffraganeus, Decanus, Vicarius in Spiritualibus, Officialis Generalis Cracoviensis, adhuc extra id tempus *Rosis* sternebat *Ascensuri* iter, ut quidquid Gentilitiâ calcaveris *Soleâ*, Rosa fieret: imò Tota *Szembeciana Domus*, suos explicabat Flores, quasi repando ore loqui vellet millenos Tibi plausus. Primum Almæ hujus Provinciæ Caput, Admodùm Reverendus Pater Magister *LUDOVICUS ELBING*, Minister Provincialis Commissarius Generalis, per apertum sui Stemmatis, idest Divi Patris FRANCISCI, aperti pectoris vulnus, totum cor in lætitiam effundit, dum stante illius Regimine, Episcopali dignaris Scipione: quod Caput si tolleris, multas apprecationis invenies Coronas mutui inter vos affectûs decoratas unionibûs. Imò sub eodem Capite cætera membra totius Provinciæ, pari animantur erga Te amore. *Franciscanæ* Chronologus *Religionis*

Celsissimus Princeps Severiæ, Consecrator Illustrissimi.

Illustrissimus Suffraganeus Crac: favet.

A. R. P. M. Minister Provincialis cum suo Diffinitorio gratulatur.

gionis plenus annorum & religiositatis Vir, Admodùm Reverendus Pater Magister *CASIMIRVS BIERNACKI*, Decanus Provinciæ, Custos Gnesnensis, Aviti Stemmatis sui extendit *Manum*, ad porrigendam Tiaram, & venerandum omni ex parte *Caput*, (vel Iovis comparandum cerebro, quod orbe majus dici posit) Tuæ humiliare sinit benedictioni. Multam Echo Nominis Tui, per suum Gentilitium spargit *Classicum*, Admodùm Reverendus Pater Magister *FRANCISCVS GORZYNSKI*, Pater Provinciæ; imò æternum *Tubâ* canit triumphum. Non desunt plurima Tibi ventura coṁoda ex ipso Admodùm Rñdi Patris Magistri *GIERAKOWSKI*, Patris Provinciæ, Custodis Lublinensis, Provinciæ Lithvaniæ Visitatoris ac Commisarij Generalis nomine, quæ nisi forent, Ipse pro his sufficeret *BONAVENTVRA*. Præludunt & Patritiæ Admodùm Rñdi Patris Magistri *MARTINI KAŁOWSKI*, Patris Provinciæ, Custodis Culmensis, Concionatoris hujus Conventûs per multos annos Ordinarij *Hastæ*, ad Episcopalem annulum optimum Tibi nactæ hastiludium, & quæ toties Apostolici sermonis ictu, multorum vincunt præcordia, triumphales hodie apportant laurus: & si olim Trojani Regnantes in publicum prodituri hastas in fulcimenta sumebant; Tu quem virtutis suffragium satis alto inducit fastigio, *Hastis Kałowscianis* Pedum obtenturus Præsuleum, trabeîsq; onustus, securè innitere, tutus *Ascende*. Damus plenô acervô collectam gaudiorum & apprecationum messem, congregati in unum sub Alas candidissimæ Aquilæ Pijssimi & Serenissimi BOLESLAI PVDICI, Fundatoris huius Conventûs Munificentissimi, quia penes plenissimum Eiusdem favoris manipulum, fœcunda amænitatis gargara offerre expedit; non leviores aristas. Primus nostrûm egreditur Admodùm Rñdus Pater *ALEXANDER SIERAKOWSKI*, Sacræ Theologiæ Licentiatus, Commissarius Conventûs, Magister Novitiorum, & fortunatissimum *Ascensum* Tuum suâ prævolutat *Gentilitiâ Sagittâ*, in summo Illustrissimi Infulati honoris clivo, scopum præfigens terminalem, & solidè Tuæ innixus Benevolentiæ ad firmandum huius *Ascensûs* iter *Sierakovianam* acuit *Soleam*. Sequimur & nos *Scotistici Lycæi Musæ*, festivum Tuo *Ascensui* accinentes pæanem; quorum Duces & Præsides Gladiatus Admodùm Rñdus Pater Magister *GAWORSKI*, alter Tuo innatus affectui, Admodùm Rñdus Pater Magister *BORZYKOWSKI*, Regentes Studij, Diffinitores Provinciæ, uterque nostrûm Dignissimi Professores, & Tui Nominis faventissimi Clientes: horum pro eodem Tuo magno Nomine *Zelum* si velis? *PAVLVM* & *ANTONIVM* invenies. Omniū item hujus Provinciæ nostræ *Franciscanorum stemmatica* expansæ in modum Crucis *Manus* ad æternum sæculis exarandum *Ascensûs* Tui Io Triumphe! exten-

Conventus Crac. lætatur.

AR. PM. Regentes eum suo studio vota inverba effundunt.

tensas *Seraphicas* adaptant *Alas.* Ipsa deniq; lætitia in præsenti solennitate triumphat, non disertior Palladis nostræ svada; quæ suæ minorennitatis & parvitatis conscia, Magnum Præsulis *Skrzetuscianum* Nomen pertimescit. Imò omnes paginæ ultra nativã albedinem in primo limine *Ascensûs* Tui ad Infulatum Honorem *Præsul Illustrissime* magìs expallescunt; omnes literarum carbones mortui, cinericium vel planè cadaverosum induunt colorem, quòd timore quodam consternati, ad Tuam exanimentur Celsitudinem. Verùm spes melior vincit metum, & votorum summa triumphat; cum qua audebimus humiliorem eloquentiæ lembum committere sangvinis Tui latepatenti Erythræo. Quòdsi in profundum præ indocilitate & ignorantia delapsis naufragari contigerit; libenter in Tui Venerationem prosternemur.

Domus Illustrissimi Paterna & Materna ejusdem Originis.

Et jam Triumphum cum Tuis tam *Illustrissimæ Skrzetuscianæ* Paternæ, quàm *Zukowscianæ* Maternæ Domûs ijsdem ab Anno 999. ducentibus Majoribus Originem, ad *Infulati Honoris* instauramus *Ascensum.* Primùmq; commune omnibus *Accipitrinis* *dedicamus Elogium,* (c) *Accipiter Vester DEI significationem habet, quoniam ea Avis cæteras antecellit & acie obtutûs & volatûs pernicitate.*

Primus Accipitrin.

Primus adest *Accipitrin* optimê de Patria & Domo suâ meritus Miles, qui adinventìs soleìs calvum montem ab hostibus Crucis CHRISTI sub *BOLESLAO Chrabri* præoccupatum conscendens, eosdem invasit, compressit, tenuit, Regi deduxit, fidelissimè.

Borzyvoius Accipitrin Succamerarius Boleslai Audacis.

Borzyvoius Filius *Mßte Accipitrinus MIECISLAI Audacis BOLESLAI Filij* ex Vngaria Comes, & Succamerarius, Vir Marte & ingeniô clarissimus.

Derslaus Accipitrin Pocillator Boleslai Krywoustij.

Stupuit Purpuratus Civium Patriæ consensus *DERSLAI Accipitrini* Pocillatoris *BOLESLAI Krywoustij* (d) *Bellatoris Magni* consilia & magnanimos suspexit Bellona ausus, Pyrrhum in campo, Cynæam in curia Regnum adoravit; dum se duplici pennâ hic *Ales* consilij & Martis tegit.

Albertus Vexillifer Sandomiriensis & Derslaus Frater ejus Accipitrini.

ALBERTVS & DERSLAVS Accipitrini Pocillatoris Filij, quorum primus Vexillifer Sandomiriensis; ferrô & ingeniô sub *BOLESLAO Crispo* Polonam libertatem defensabant. Ambo magnanimi Herôés madentem hostili sangvine mucronem (e) *fidelitate & probitate erga DEVM & Regem ducti* irrequieto agitabant motu, non ignari quòd eductus vaginâ gladius, nisi sangvine tingatur; cum rubore in eadem reconditur.

Petrus Accipitrinus.

Quoties Nuntium in Comitijs agebat *PETRVS Accipitrinus* Filius Vexilliferi Sandomiriensis, non verborum purpurissô; sed animi candore bonum publicum promovit.

Sventoslaus Posnaniensis.

Iunguntur his affinitatis nexu *Illustrissima Ecclesiæ Numina*, Tegimina & umbraculum fidei, *SVENTOSLAVS Posnaniensis, PETRVS Płocensis, ANDREAS Vilnensis* (primus Catholicæ fidei in Lithvania Apostolus) *Episcopi Acci-*

pitri-

(c) HADRIANUS *Iunius Medicus in emblematibus*)
(d) OKOLSKI *sub Iastrzebiec*)
(e) BOLESLAUS *Crispus in suo diplomate*)

pitrini: Nunquàm Ovile CHRISTI pulchriùs resplenduit, quàm tantis Pastoribûs, exemplô prælucentibûs. Non potuit juxta Evangelicam vocem Pastorem non audire Ovis, dum *PETRVS* cui CHRISTVS commisit Oves, *ANDREAS* zelô ardens, & *SVENIOSLAVS* honoris DEI laus adeò fulmineô resonabant eloquiô, ut orbis in eis, alterum miraretur Periclem, alterum Demosthenem adoraret. Insigniverunt hi non jam variegato vellere sed venustiore virtutum colore (ut varietas DEI oblectaret pupillam) gregem Catholicum. Tonantem *ANDREAM* vel ardentem suspexisset Lithvania, ni Iupiter attonitos in cineres & favillas redigeret, hic suo spiritûs ardore ad vitam plurimos animaret æternantem. *NARCISSVS* germanus *ANDREÆ Vilnensis Episcopi Frater Accipitrinus*, Vir pace & bellô clarus; sed pietate in DEVM, & avita religione clarior; pietatis suæ evidens argumentum reliquit: qui summo sumptu & liberalitate Fratribus nostris Monasterium & Ecclesiam *in Nova Civitate Korezyn* erexit. Triplici insertus *Cathedræ Posnaniensi, Cracoviensi, Gnesnensi*, *ADALBERTVS Accipitrinus* dignum Tiarâ earundem ostendit caput: & meritò his afsidet *Accipitrinus*, cùm omnium omen habeat. *Soleatus* super soliditatem *Posnaniensis* ascendit *PETRÆ*; triplici insertur *Cracoviensi Coronæ*, trinâ dignificatus Tiarâ; *Gnesnensi* alter restituitur *ADALBERTVS*: non semper tamen horrendis aures percellebat fulminibûs svavitate dulci verba condiente; ut jam non sola antiquitas suos jactaret Oratores, qui declamaturi Lilijs de pectore suspensis blandimenta dictioni comparabant, postquàm & huic Polono Hortensio *Gnesnensia Lilia* disertum labium blanda demulcebant promulside. Hinc *Lovicienfis Pelicanus* proprio ipsi subscribebat cruore; & *Varsaviensis Siren* svavia suggerebat modulamina. Vineam CHRISTI nulli tunc deformabant stolones, quos & verbi Divini peracutô gladiô, & doctæ mentis acumine amputabat. Hic supra Magnos Celsissimus, supra Præclaros Illustrissimus, supra Bonos Optimus: Regum Coronæ unio, thesauro libertatis gemma, Regno sapientiæ caput. Inter Stoicos Ethicè, inter Lelios Politicè inter Christianos Orthodoxè, inter Spirituales exemplariter, inter oves Paternè spirans: in veritate candidus, in varietate nullus, in virtute erat omnis. Respondit Majorum suorum magnitudini æmula virtus per lineam *Divi ADALBERTI* descendentis, prius *Accipitrin*, posthac *MARTINVS Skrzetuscius* de Domo *Malczeviorum* nuncupati, militis; cui infractum fuit robur pro septemplici Aiacis clypeo, in adversis constantia pro columna quapiam Gaditana. Verè Mars intus ille *MARTINVS* multos Scythicos apros venabatur Caledonijs ferociores, & ne fugâ se subducerent, plumbeis glandibûs saginatos Marti in victimam

Petrus Plocensis, Andreas Vilnensis, Episcopi Accipitrini.

Narcissus Accipitrinus.

Albertus Accipitrinus Archiepiscopus Gnesnensis.

Martinus Skrzetuski.

consecravit. Expavit Moschoviticus Draco Gentilitias illius *Vngulas*, ne profundius suo capiti infixa sentiret; ideóq; mitiùs sapere didicit. Tot belli incommoda Magnanimo Heroí quædam voluptatis illecebræ videbantur; adeoq; in nube frontis serenum nunquàm obtenebravit ferrea armorum tempestas. *Accipiter* hic vibratioribûs oculorum radijs, cruentes Bellonæ nubes penetrabat; addensatos telorum imbres, pupillâ spectans irretortâ; magnîsq; dotatus talentîs in sago & toga gessit plurima, quæ non levem hanc pagellam, sed capaciores tomos implere possent: rubentem tamen hostili sangvine manum illius Tuis Purpuratis *Illustrissimis* admovemus *splendoribus*. Ac tandem per sexaginta Annos multîs in bello periculîs fugatîs, vitam pro meta posuit inconcussi pectoris Heros. Vectigale idem meretur encomium in castris exercita virtus *CAROLI Skrzetuscij* cataphractæ Cohortis militis. Nunquàm frustra per aures ventilatum mucronem in illius manibus observavit Gradivus, quia semper capulo tenus Barbarorum pectoribus immersum, vix advertere potuit; ad antiqvum Zbaraz victore gladio Cossacorum messuit capita, quibûs computandîs curiosa Arithmeticorum numeratio lassaretur. Infra Iulij Calendas Leo Solis stationarius novum in illo conflictu aspexit Leonem *Skrzetuscium*, qui generoso spiritu Cossacorum cuneos frangebat. Ardentius cælesti sirio tunc lucente flagrabat illius pectus; videre fuit scintillantes *Accipitrini* oculos, ignescentes ad prælium ungves, Martiali æstu fumantia rostra, flammam vibrantes gladios, accensam Bellonæ facibûs *Soleam*, æstivos superantem calores. In his & alijs expeditionibus, animosum Hectorem vidisses, permixtos Martiali æstu anhelitus trahentem, cui irrequieto motu cor ad pugnam saliebat, non vecordiâ concussum, sed vehementi lætitiæ impetu exagitatum; in hostem erumpere voluit. Si frangere potuisset costas, ignitum dolonem conspexisses, bellici fervoris flammas ejaculantem. Superbè nimirum feriens Tartarorum & Cossacorum barbaries, ad præsentiam *Skrzetuscij* delituit, immo nec amplius spirare potuit. Immanis hæc bellua expavit Gentilitium illius *Accipitrem*, qui non tantùm latentes in scythica Meotyde hydras, sed etiam septemtrionales Leones excæcare novit. Per aquas nudipes ad idem Zbaraz Annô 1648. in negotio hostilis conflictûs Nuntium ad Regem agens, certè suîs ferebatur pennîs ne mergeretur. (sic rei cardo est) contra rebelliones Cossacos Chmielniccio Duci adhæsit *CAROLVS*, partim affabilitate, partim asperiori superciliô obstinatam illorum compescens proterviam. Et cùm *IOANNES CASIMIRVS Serenissimus Poloniarum Princeps* ad capessendum illorum venisset dominium, per quondam lacum noctu pernatans *Skrzetuscius*, cum literis occurrit. Ipsi tumentes aquæ fluctus erectas flexerunt cervices in adoratio-

Carolus Skrzetuski.

rationem ſtrenui militis; & quia à longè voce non potuit (vix non ſuffocatus aquîs) ſalutare *Sereniſſimum Hoſpitem*, lætior Neptunus aquarum murmure loqui videbatur: ſicq; Nuntium cum fidelitate Regi ſervans *Skrzetuſcius*, vitæ ſuæ ſtrui à rebellibus non advertens inſidias, vix eaſdem evaſit. Et hoc eſt in prælijs maximum ijs diſcrimen, qui maximè timent, audacia pro muro habetur. quanta demùm eſt animi magnitudo, ad id ſua ſponte deſcendere, quod nec ad extrema redactis timendum ſit; & hoc eſt præoccupare tela fortunæ. Vnus hic alter Antigonus, unus pro mille non pro centenis militibus numerari poterat. Erumpit ingens gloriæ ſplendor è mortuali cinere *Illuſtriſſimi Tui Parentis ANDREÆ Skrzetuſcij Iudicis Sandecenſis*, qui non degener à ſuis Proavis Nepos, Magnum ſuæ Domui Columen acceſsit. Adhuc prætextati juvenis vivacem Indolem mirabantur doctiores Poloniarum Athenæ, in adulteriori ætate attonita Patria obſtupuit propenſiorem erga ſe animum. In publico Nobilium conſenſu diſertum egit Tullium, vel ignes dicentem Iſocratem, ubi frigidiores in publicum mentes accendere matura perſvaſit deliberatio. Ipſi Purpuratæ Palatinatûs ſui Curiæ parietes auriti quodammodò eſſe videbantur, ad *Skrzetuſcij* Oracula; ad ſvavem illius vocem in ceram emollita vix non colliqueſcebant marmora. Quot verba tot peſſulos vel ſeras ori omnium impoſuit. Non homines ſed immobiles ſtatuas hærere tunc crediddiſſes quando diſertiſsimus hic Neſtor loqui incepit. Attoniti oculi lapideſcere cogebantur, in Saxum diriguêre obſtupefactæ palpebræ; exangues vultus in ſilicem obdurati ab ore illius pendebant; admiratione defixæ frontes, profundioribûs rugîs ſulcabantur. Saxea Deucalionis proles, vel caucaſô ſtirps progenita cerni poterat; quoties verba fundebat *Skrzetuſcius*. Limatum tanti viri ingenium ſuſpexit Sandecenſis Areopagi Themis, qui in Tribunali ſua affabilitate venerebatur bonorum animos, malorum crimina irrevocabili ſententia plectebat; non ignarus illius effati. *Ita parcendum eſt uni, ut clementiæ fructus ad multos perveniat, ita fulminandum, ut ſternantur pauciſſimi, quam plurimi terreantur.* Alibi centoculum agit Argum reſpectus, apud *Skrzetuſcium* etiam exoculatus locum non habuit. Rectiſsimus cauſarum Arbiter nunquàm venalem propoſuit juſtitiam, quia illius gladium aurea cote hebetari non acui putavit. Sæpènumerò infirmitas cauſæ etiam agonizantis non timetur, dum remedia juris acquiri & emi poſſunt. Podagricum alias negotium optimè incedit, ſi donantis dextera hiragram non patiatur. Dare tamen Conſilium ad rem peſsimam meliorandam ob alicujus præmij illecebram, idem eſt, quod medicinæ locô venenum propinare. Aurum quippe iniquitatis eſt clypeus. Miſera innocentia, ſub nocenti Iudice, quæ ſe eodem ſcutô defen-

Andreas Skrzetuſki Parens Illuſtriſſimi.

dere debet, quô summa scelera defenduntur. Nemo vidit aureo hoc umbone armatum *Skrzetuscij* pectus, non enim erubescit veritas, si nuda appareat; pulchrior illi sua nuditas, quàm si aurô bracteatos cultus induat. Delatam hanc Civium Palatinatûs communi Suffragiô Authoritatem Iudiciariam, sic tractavit ille Patrius Aristides; ut ab omnibus ex æquo Iudex reputatus, etiam pro conscientia justus haberetur; cujus ratio nullius mancipata imperio, nullius empta gratiâ; tàm longè ab asentatione abfuit, quàm id unicum virtuti suæ debitum fuisse noverat, nunquàm privato prætextui, semper publicæ inserviendum esse justitiæ. Alij à simili virtute fortasse æquè conveniat nomini suo similem adlegisse: hujus pudor & justitiæ soror

Incorrupta fides nudaq; veritas,
Quando ullum invenient parem?

Ioannes Skrzetuski. Buccinat vocali clasicô publica fama *IOANNEM Skrzetuscium* cujus vel exinde nominis amplitudinem metiri possumus, quòd multîs vicibûs in comitijs Palatinatûs sui Posnaniensis Nuntius, optimè spartam hanc coluerit. Attonabat omnium aures tornatæ dictionis facundiâ, gravi sententiarum pondere omnes in admirationem rapiebat. Majestuosi vultûs spectatores millenos habuit, totidemq; suæ eloquentiæ Auditores, ex quibus nemo criticus censor extitit. Ipse redivivus Cato si illius effata auscultasset, nihil censurandum inuenisset. Verus erga Patriam illius candor in paginam effusus vix non extinxit atrum sepiæ colorem; literîs expresior illibatæ mentis character satis egregiè eluxit. In annotatis atramentô syllabis quidam carbunculi micabant ignê vibrantes fervidi erga bonum publicum amoris. Volatico rapiebatur impetu *Skrzetuscius*, ad quodvis obsequium Reipublicæ Gentilitiam sui Palatinatûs Aquilam æmulatus; cui suffecit unicû fulmen ad hostes profligandos, indoles generosa. Credideris sanè illam *Alitem* in *IOANNIS* sudoribus niveum induisse candorem, nisi candida foret; imò salsîs ejusmodi fluentîs toties rejuvenescentem evolâsse. Adamantinas obstinatorum mentes emollivit svave illius consilium, novus Hercules ferreos aliorum animos lenioris svadæ traxit catenâ. Polona Libertas nunquàm servitutem passa, captivam se esse fatebatur, inter aurea *Skrzetusciani* eloquij vincula; libenter tamen ejusmodi compedes portabat, quia pretioso Illius nomini, & *Gentilitiæ Alitis* pedibus colligatis, assymbolas. Non potuit satiare Civium desideria, quin frequentiùs se eligerent tali Provinciæ administrandæ peridoneum. Omnes illius absentis imaginem in suo capite pingebant, ille in ore, ille in cordibus multò ante electionem versabatur. Pluribus svaviorem reddebat quietem, quia de illo somniantes dulcem tanti Viri memoriam ponebant, vel ipso sopore re-

præ-

præſentante *Skrzetuſcij* Perſonam. Quidquid inſuper dixit, oraculum; ſi ſcripſit, miraculum; utrumq; ſi ſvaſit. virtute, geſtis, gloriâ, ter magnus; pacificus, doctus, facundus; Divinitate Plato, humanitate Traianus, juſtitiâ Salon, ſapientiâ Salomon. Magnum ei & ſublime in noſtro *Poſnanienſi Franciſcano* patet *Monticello* Nomen, quod & ipſum tangit Olymphum; dum hic liberaliſsimus in noſtros, multos in Ædes *Marianas* elargitus nummos: cui etiam noſtræ *Cancellatæ Manus* Seraphicis pennis hoc commune ibi & alijs Benefactoribus *Rydzińſcijs, Domiechowſcijs, Radomiccijs*, exaravit in pectore elogium; ſemper honor Nomenq; eius laudesq; manebunt. Æmula huic reſpondet virtute, *FRANCISCVS Skrzetuſcius* cujus probatam prudentiâ authoritatem, vidit multoties Palatinatus Cracovienſis, vidit inquam in ſplendido Comitiorum theatro acerrimum Libertatis Polonæ Defenſorem; qui dulci eloquiô multorum odia & diſſenſiones compoſuit. Aculeatæ contravenientium apes ingrato obſtrepantes murmure taciturnitatem didicerunt; ut omnem prorſùs amandarent fucum, qui mella concordiæ abſumeret. Toties magna illius induſtria amovendis Palatinatûs diſturbijs efficacem porrexit modum, ut ipſa pericula, quæ alijs metum incutiunt; timerent pennam *Skrzetuſcij* & virilem dexteram. Ita ſanè in prudentibus Conſiliarijs clarum ingenij lumen eſt quædam polaris ſtella fluctuantem Reipublicæ Navim ad portum dirigens. fecundæ Oratorum linguæ, acus Magneticas imitantur; quæ Patriæ onerarium in meliorem flectunt portum, ne patiatur naufragium; aut malorum voragine pereat abſorpta. Et certè omne Regnum (teſtante Lipſio) *ultimam vitam agit, niſi illam bonorum Civium conſilia vel redaniment; vel ſpiritum detineant.* Agcnizantes rerum ſucceſſus facilè reviviſcunt, ſi magni judicij ſenſus ultimum expirantibus anhelitum, ſuccurat. Majorem adhuc *Skrzetuſcianæ* gloriæ campum ingredi liceat, in quo Sagacior pupilla obſervabit lectiſsimam Fratrum unionem, videlicet *IOANNEM & BARTHOLOMÆVM Skrzetuſcios*, quorum magna Nomina venerabundus calamus tenuiori ſtylô delibavit. Nobilis hic Fratrum binio omnes difficultatum fluctus, meliùs quàm tridens Neptuni, maris tempeſtatem; ſedare poteſt. Ad Phænicis raritatem accefsit pulchram adeò ſpectare Fratrum coronam, quæ pro gemmis unione animorum ornata, in conſpectu noſtro reſplendet. Prodit hoc Nobile par Fratrum ad quorum Panegyrim hærent umbratiles calami, iamq; frigida timoris hyeme conglaciati, unicam eliquare ſtillam nequirent; niſi ſplendidiſsimi ignes *Skrzetuſcianæ* virtutis glaciem hanc reſolverent. In utroq; Fratre quis non obſtupuit pueritiæ auroram? quam doctior Phæbus comitabatur, illuſtris omninò ſatelles. in tenera ætatis concha clauſerunt nobilem pru-

inter Benefactores Conventus Noſtri Poſnanienſis numeratur.

Franciſcus Skrzetuſki.

Joannes & Bartholomæus Skrzetuſcij Fratres.

D denti-

dentiæ gemmam, circulari æternitatis annulo inserendam. Quilibet vaticinari poterat ex utriusq; *Skrzetuscij* juvenili indole quantus posthac futurus esset; neq; spem elusit eventus, quia omni tinctum literatura multæ functiones probârunt. Multi infantilibûs fascijs felicissimas evolvunt prognoses, in Patritijs cunis scribunt futuræ virtutis omina parvis pusionibus; si verò maturior ætas votis illorum non respondeat, Cælorum influxus accusant; ignavo homini, Cancri tarditatem, holerico Scorpionis iracundiam, appingunt. Frustra spes in herba vernans aspicitur, quam sequens tempus sua falce demetit; culmum non expectans. nonnulli sperant auream prolem, sed simul timent ne sit plumbea; timere autem desinent, si sperare desierint, quia spes metum sequitur; utrumq; pendentis animi est, futuri expectatione solliciti. Respondit non dubiæ spei uterq; *Skrzetuscius* quam in primo illorum juventutis flore multorum formabant auguria.

Bartholomæus Administrator Salisfodinarũ.

BARTHOLOMÆUM æquissimum veritatis & fidelitatis assertorem in administratione Salisfodinarum ut videre posset lustitia de cælo prospexit. Vel minimam corruptionis umbram fugiebat, ne lucidam virtutem obumbraret; semper in conspectu illius expalluit aurum, quia timebat manus munerum contemptrices, in multos sævam exercet tyrannidem avaritia, quia illos damnare ad metalla didicit; truculentiam hanc evitavit *BARTHOLOMÆUS*, adversus cupiditatis tela omni circumspectione armatus. Martiales ejusmodi ausus & veri Administratoris fidelitatem ipsa loquetur immortalitas; circa Salisfodinas operariorum voces melius personabunt ubiq; quàm calami describent; & liberalitas pestifero tempore his & alijs, tum Fratribus nostris impensa, sanum circa administrationem illius caput, prædicabit; incolumem undiq; apprecando valetudinem.

Michaël Christophorus & Josephus Skrzetuscij Bartholomæi Filij.

Debitô & Fraternô veneramur cultu Paternis insistentem vestigijs *MICHAELEM CHRISTOPHORUM Skrzetuscium BARTHOLOMÆI* Filium, genuinum Iovis germen, & dignam magni propaginem Æacidæ; magnæ expectationis in nostra Religione *Novitium.* Non sufficiebat, ut illius diligentiam & devotionem in nube hujus sæculi cælum unô tantùm solis spectaret oculô, ideòq; ad *FRANCISCI* transeuntem umbras, & sub nocturni temporis conticinium vigilantem, è suis stellis innumeras aperuit pupillas; Seraphinorumq; (*Franciscanorum* intellige) dirigit palpebras: quibûs religiosas, modestas, laboriosas ejusdem in schola Religionis lucubrationes; aspicerent. Non degener hic *Ales* à suis *Accipitrinis* facundiam rostrîs, tulit auribus nostris; pennas & calamos, (quibûs ejus exarabitur in Religiositate profectus,) *Manibus* inseruit *Cancellatis.* Certè egregium *CHRISTOPHORUS* noster

magnæ

magnæ indolis ſpecimen præſefert; qui & Nomen *Patrui* & omen habet. Apponet *Dominus* pro hac *Penna Aliti Veſtræ Illuſtriſſimi Parentes* millenos laudatoris Nominis Veſtri calamos, dum vos ſurſum pijs portabit ſuſpirijs *CHRISTOPHORUS*. Vidiſsemus germanum ejus Fratrem *IOSEPHUM Skrzetuſcium* in *Alma Scientiarum Univerſitate Cracovienſi Alumnum*, qui pari eruditione & devotione cum Fratre *CHRISTOPHO-RO* juvenilem ornat prætextam; & Gentilitijs *Alis*, Pòéticum ſuſtentat Entuſiaſmum. Benè ſentire, benè loqui de illo omnium eſt; & meritò quia *BARTHOLOMÆI* Filius, ſucceſſu temporis, *Os Principum* appellandus. Neceſſe tandem ducimus ut Maternæ Tuæ Domûs *Zukowſcianæ Illuſtriſſimi Anteceſſores* triumphali paſſu ad *Infulati Honoris* Tecum egrediantur *Aſcenſum*, niſi jidem egredirentur; quos iam vidimus *Accipitrini*, cùm ejuſdem ſint *Zukowſcij & Skrzetuſcij* Gentilitiæ *Alitis Pulli*. Longum foret & plures Domûs Tuæ *Illuſtriſſime Præſul* ſtatuere in hoc triumpho ex *Skrzetuſciana* ſtirpe columnas, longum foret omnes Majorum Tuorum numerare greſſus, quos in egreſſu ad *Illuſtriſſimum Infulati Honoris* calcares *Aſcenſum*; tantas enim baſes tenuis pagina ſuſtentare nequit, ſub quarum pondere etiam Orbis Polonus fatiſcit; tot palpare Domûs Tuæ gradus, imbecillis noſter non ſufficit genius.

TRIUMPHUS II.
Colligatas Familias
DEDUCENS.

QVi felices aliqvando eſſe volunt, laborare debent: (dicebat Terentius) ut aliquando magna eveniat merces, major adhibenda cura; nulli ad aram Honoris, niſi per templum Virtutis patebat antiquitùs via, (*hîc virtutibus honos.*) Nihil enim ſine magno vitâ labore dedit mortalibus. *Auguſtum Illuſtriſſimi Infulati Aſcenſum*, nulli competitiore voto attentare licuit, niſi qui luctæ & ſupremis honoribus indefeſſum victimavit lacertum: illud dicere volumus, quod Tibi non pridem noſtra cecinit *Muſa*, quia Virtus intaminatîs fulgens honoribûs neminem præmiat, niſi emeritum *Illuſtriſſime Præſul.* Illos enim Coronarij Regum cinctus, & fulgentia diademata conſtringunt vertices, qui ampliatam in fatigia mentem nutriverunt; in illa inquam deflua pronitate gemmea tempeſtas diadematum pretioſîs fluctibûs devolvitur tempora, quæ profundîs amnibûs operoſi ſudoris innatabant. Alias rarus Iaſon aureô ditioris Colchidis intenſa deſideria coronabit ſpoliô, ni ſcyllarum rabiem, & armatum ſævîs Aqvilonibûs Oceanum, metu prætendente pericula evicerit. Vnde priùs extenſa jugera, & ſalebroſos emetiendi calles ſtudij athleticum prægustet veſtigium, ſi aureos Regij honoris fructus, & coronatam adoreîs metam libuit delibare. Averſantur Illuſtres tituli tenebris & otio addictas mentes, fugit decorum trabeæ purpuriſſum illos humeros, quos nullum onus examinatore periculo exploravit. Scilicet ſublimatus dignitatis apex, quò altiùs elevatur, eò aſperiore turgeſcit arduitate, eminente ſupercilio, animo luctatori minando ex alto labores. Citiùs quia decennali præliô in deditionem obſtinata inclinabis pergama, citiùs cum Annibale chalybeîs malleorum ictibûs protervam Alpium emollies duritiem, rigentia inconcuſſo adamante honoris limina, quàmvis ſæculari oppugnes luctamine in pertinacem Caucaſeæ Silicis venam occaleſcent. Et quàmvis mole ruit ſua, quod fortuna magnificîs ſolidavit auſîs; tamen inacceſſam dignitatum arcem adeò etiam firmo roboravit munimine, ut licet Herculeîs tumeſcas viribûs, licet in ſuppetias certaminum accerſas Briareum, refractarium reluctantis Numinis nolle minimè in vota tua inflexiſti. Per Iovem! qvot hîc

Non præmiatur, qui non meretur.

hîc numeraveris, qui vitam amiserunt, ut invenirent fasces; ut elevassent Coronatum sinciput, colla fregerunt; ut rubuissent Tyri conchyliô, sangvine manârunt proprio; ut infra superbum Pedem relictô vulgò sublimia scandissent pegmata, ad ima profundæ abyssi ceciderunt! *Idem omnes accendit bonos, idem excitat ardor, certatim insiliunt, qua semita ducit in altum: arripiuntq; gradus, quos mordicus ore tuentur exercentq; manus, & se statione vicissim proturbant, tolluntq; caput, calcantq; relictos.* Retundit nos indignabundæ fortunæ aversio, tamen accedimus; prodit nefastam sui fastûs magnificentiam, tamen & hanc curamus; fastigia non sine fastidio elargitur, & apprehendimus; honores non sine oneribus offert, & libenter recipimus; confundit ausum, & tamen præcipitamus assultum; enervat arduitate robur, & tamen vires fractas colligimus: non secus atq; Lymphatica undæ insolescentis procella, quoties violento impulsu in saxeum impacta scopulum, semper repercussa discedit; aut ille temerarius Gigantum ausus, ubi per accumulatos montium acervos, cælum intentat scandere, à potentia vibrati fulminis dejectus, pro ambitione Æthneo oppressus pondere ingemiscit. Vnde non immeritò rigidis excubijs purpuratos postes audax virtutis armavit providentia, ne immeritos honoratis adlegisset palatijs; aliter etiam simplex vulgus subveretur procacibûs desiderijs dignitariam accedere januam, cùm eidem sceptro nuper aratris insvetæ manus, & quas Victor exercuit chalybs sese obtulerunt; ut posthac dignis tantùm recludat aditum, universis præpedivit. Vidimus quippè non sine mentium excelsarum vulnere, vidimus in Ausonia majestate ancillâ natum Varronem, & famulum Orbem dominatore sceptro ad sua cornuantem imperia. Sic Concinnatum observavimus, qui *fessos hæri duxit boves, dat magnis hodie jura Quiritibus, & quæ bobus ademerat, imponit Gabijs, & Curibus juga.* Debuccinat jactabunda voce, in aures mundi septies consulari subnixus sceptro Marius: *Non possum vobis Patres conscripti antiqvas Nobilitatis meæ imagines præsentare.* Hodie Præmislaus ferrato vomeri obsonaturus accumbit, cras inter mensas regio apparatas luxu aureum pomum Orbis illi apponit Bohemicus. Sic Lesconi rudem Polonus detraxit lacernam Monarchali obtatô paludamentô. Restrinxit igitur, restrinxit latèpatentes in rabeata penetralia fores, cautior tot exemplîs reddita virtutis advertentia; ut abhinc non cujlibet permissum sit istam adire corinthum. Vnde quæ adoriri non valuerunt, adorare coguntur limina miseri invasores. Mendicos putares, qui ut modicam honoris emendicent portionem, vitæ tempora petendo amiserunt; ut sereniore fronte illos clementior respiciat virtus, post quærulosos singultus pluviosos ab oculis destillant nimbos; vel ut mercentur aliquid plorantis dispensant palpebræ uniones; vel ut illis

Quia immeriti trabeas ambiunt.

lis obstinata pandantur limina, gemmeîs globîs pulsando jaculantur. Sed non voces quærulæ, & pretiosæ missilium votorum hastæ honorata recludunt limina; pulset virtutum concentus & panduntur. Nam

Alta cadunt vitijs virtutibus infima surgunt,
Sic virtuti honor promptaq; fama venit.

Alijs esto, solo Nomine & ingenti illâ titulorum pompâ à Majorum simulacris derivata non modicè profuit excellere; ut qui nimirum plus fortunæ quàm ingenio confisi, suô confusi probrô, depressi socordiâ, fædati insolentiâ, obscurati luxu, labori inertes, gloriæ oneri, posteris fastidiô vivant. Tibi haud unquàm tam confusa suppetière Astra, nec talium fato mens generosa succubuit; cui præter ornamenta naturæ, felix virtutum concentus ubiq; ad frugem in vita prodesset. Profuit quibusq; obstetricante manu fortunam in robur solerti, & quaqua versum industria volitanti educere, favores aucupari favoribûs, honores lucrari honoribûs, & altum pressâ ambire reverentiâ; illis quibus virtutis Nomen sine Nomine, labor, improbitas, sudores, nausea, fastigium, casus, ut Pòéta arguit:

Sunt quos tentat honor, volucriq; per invia cursu,
Præfixam mandat per fas evincere metam,
Lucri avidos: sed cùm spes maxima fertur in altum
Edocet Icariam, miseros deflere ruinam.

Menti Tuæ non hæ in casum aliquando Alæ succrevêre queis nunquàm

Venales captant æraria plausus.
Corrupta fidem, sed meritis offertur ineptis.
Principum pura mente favor.

Non hic inflatus à natura genius, qui solida meritorum basi, subnixi grande, & immobile à pondere virtutis fulcrum in honoribus occupârunt. Hoc Tu ariete, hoc assultu tentasti *Infulati Honoris Ascensum Illustrissime Præsul;* ipsa *Gentilitia Solea* solidos Tibi per *Accipitrinas campanulas* calcare labores signabat, antequàm huc *Ascendisti:* & eidem *Soleæ* assidens *Cruciger Ales* signum ejusdem præseferebat, arduum ad honores indicando quadrivium: per quod venisti ad *Crucem Pontificis.* Ad sonitum hunc *Soleæ* Tuæ, & *Gentilitij Accipitris* campanularum, melius quàm ad Orphei plectrum alijs caucasei; Tibi jam molliores hujus *Ascensûs* in triumphalem choream subsilierunt lapides, quibus merita Tiaram Tuam & Præsuleum distingvunt Annulum. A-rietasti hanc Troiam generoso virtutis impetu, proindè dignus ipsius Cæli indiciô videbâre, ut *SZEMBEKOVIUS Ibex,* quem & Sarmatici, & Quirinales, tum Ecclesiastici lassârunt tituli, Tuum majorem Herculeô lacertum, in oneris Ecclesiastici

Celsissimus Primas Regni, Illu

ex

ex Candidatis plurimis unum proponeret participium, ut verum sit,

Illustrem fama Magnum simul arte piumq́,
Virtus & pietas, ipsaq́ fama vehunt.

Ex quo mensuret jam magnitudinem Tuam Ecclesia & Lechia, examinet profundô scrutiniô potentiam brachij, quibus possit sufficere purpuris; ubi post diuturnam deliberationem in consistorio *Sacræ Regiæ Majestatis* Tu unus his Præsuleîs laboribûs Alcides dignissimus censebaris. Quantus es, & quàm altè verticem Tuum virtus extulit? hinc metire, quòd nimirum *Celsissimus Princeps, Primasq́ Regni, STANISLAVS à Slupow SZEMBEK, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Primus* inquam *Princeps* Senatorum adoreîs, Principali Mitrâ, Archipræsuleîs Tiaris, & quod rei cardo est summarum mole curarum, & si quod aliud in honore Celsissimo onus perpendi solet oppressus, proximius *Ecclesiæ Bacchoviensi* præter Te non invenit fulcrum; & hoc demum palmarium est, *Serenissimo Regi AVGVSTO II.* Te verè dignum hâc Tiarâ detulit *SZEMBECIVS*, ad quod *Majestas* declinavit. Acproinde indiscretum virtutis genium nullus dixerit, solos ipsa à conclavi honorum arcet immeritos, quando Tibi meritissimo dignitarium & libenter & reverenter permittit *Ascensum* amotô omni offensô. Dij illi quos fabulosa antiquitas foribus effecit Præsides, ejurârunt tunc Divinitatem suam, cùm Te quasi maximum Numen terræ in trabeatis laribus hujus *Ascensûs* suspexerunt. Quare alij maximîs incesserunt tripudijs, alij tarditatem virtutis increpabant, quòd adulto vertici Tuo adoreîs, primùm hodie sublimatus *Infulæ* apex obtigisset. Et certè digna foret objurgationis castigari verbere, nisi paratos ictus innocentia retunderet, eò quòd magnis virtutibus Tuis & meritis proportionatum statuere præmium non unius diei labor, sed seculorum fastigium habeatur. Sic cujusvis textoris manus, in vulgare brachium in momento lacernam texuit; splendidiores trabeæ ipsius Minervæ artificiosam diu poposcerant dexteram. De gramine & simplici flore, uno quadrante plebeia manus concinnavit sertam. excelsis magnorum virorum temporibus, annus integer cudit obryzum in coronam. Maturum ergò & meritum tæniâ caput Tuum redimitura virtus, diu negavit præmium, ut dignum daret aliquando. Ita Iovi & Marti maximis Dijs, per annosos tractus excitantur Basilicæ ædes, seculum & alterum Iones detriverunt Dianæ sublevando parietes Ephesinos. Panes ex virgultis plexô domiciliô honorantur contenti. Antequàm Delphus Apollinem aureo venustaret amictu, diu statuam pulveribûs aspersam, in tenebroso observavit; ut postquàm illi in debitum circulum formavit aurum radios, Aris & Sanctuario impositus ipsa vul-

Illustrissimũ Serenissimo Regi AVGVSTO II. recomendat.

vultûs Majestate inscijs Divinitatem suam persvasit mortalibus. Distulit & Tibi *Illustrissime & Reverendissime Præsul* in hæc usq; tempora Infulatum muricem providus honor, ut Te non cujusvis Aræ statuisset Præpositum, sed *Bacchoviensis Antistitem*. Procede ergo, procede ad istum bonîs avibûs *Soleata Ales Ascensum*, conscende fortunatîs pasibûs gradus purpuratos; exsupera secundîs Alitibûs spes votumq; poli, quem primò à limine vitæ nutrix aula fovet, ad honoris procede fastigium. Isthmum non solùm murum perfodere visus es laboribûs & meritîs Tuîs, ut Gentilitio adæquares *Illustrissimi Prædecessoris Tui ex Ordine nostro FRANCISCI Biegański, Prawdzic*; multîs stipatus virtutibûs *Ascendis*, & metuendi *Leonis sui* rigido ungue *Orbicularem circulum* triumphali Tuo *Ascensui* libenter exporrigentis sequeris vestigia; ergo procede, dum idem Te comitatur *Leo*, ut jam non soli Imperatores Romani ad Tarpeia Leonibûs vehantur culmina. Ibis satis Augusto tramite, quem *Illustrissimi Affines Tui* honoratîs triverunt vestigijs. *ANDREAS* Czarnkowski decus Poloniæ, orthodoxæ fidei Atlas & columen, tum ejusdem contra hæreticos acerrimus Posnaniæ propugnator, affinitatis Tuæ gloria, *Episcopus Posnaniensis*, quàm manifesta Tibi reliquit vestigia! & sequeris hæc; virtute manuducente, premis hos gradus, quos ille calcavit feliciter. Dederat *ANDREÆ summus Pontifex*, ad quem à Serenissimo *SIGISMVNDO AVGVSTO* Legatus missus fuerat, multas, etiam confirmandi Episcopos gratias; Te iam opus confirmare non haberet, qui in stadio virtutis nunquàm languidè incesisti: nullîs enim adminiculîs indiges, ipsa Te merita *Antistitem* approbârunt. *ANDREAS* noster semper ardebat etiam tempesta nocte, & in aurora; ubi vigilibûs excitus curîs, dormitare non potuit gregi commisso intendendo; vidisses eius fidei orthodoxæ ardorem Vulcano libros hæresim sapientes mandantem! vidisses quàm nullum avidius pabulum depascebantur voraces flāmæ, quàm illos *Czarnkowiana* in unum strinctos *Fasciâ* codices, hæretica imbutos pravitate sibi commissos; per chartas liberius grassabantur ignes, perversæ doctrinæ feraces periodos absumebant. Tales libri non alia luce digni fuerunt, nisi illâ quæ in fatali rogo accenditur. Erubesceret mehercule Pallas nostra simplicem tenuitatis araneolam, in tam Candida *Czarnkowianæ Fasciæ* tela, vili acu rudimenta sua depingere, nisi eâdem *Fasciâ* Tuo obstringeremur Præsuleo Nomini. Hinc ergo nihil Te *Illustrissime Antistes* in his Infulatæ dignitatis Olympijs retardare valet, quando velocibus avitæ *Soleæ* Tuæ vestigijs insistens movet *Ales*, & patritia *Czarnkoviorum Fascia* (quæ fortunæ versatilem genium nodô sibi adstringit Gordiô) optimè Te ad hunc

Colligata Familia Czarnkovij.

succin-

succingit *Ascensum*. Sed Triumphali Tuo ad *Illustrissimos Infulati honoris splendores Ascensui* maxima quoq; *Byliniorum* allucent Nomina, quorum cum *tribus Soleis* sub armata manu decussatim *Acinacis* positus, vel astrum in Sarmatico accendit horisonte vel efformat calcar excitans ad facinora sæculis memoranda. Quanquàm non eget generosa *Byliniorum* Indoles, ad exæquandum æternitatis gloriæ stadium impulsore stimulo, cui pro corona Lechiæ cruenta Martis decurrere Olympia amor in Patriam jure mandavit hæreditario. Illi enim tantùm ad metuendam Bellonæ choream atq; æstus perurgeri debent Mavortios, qui tunc se pro focis stare arbitrantur, cùm illis assident; tunc hostem fundunt, dum prælia mensis pingunt, fusôq; metantur falernô; Illustres *Byliniorum* animæ alios non amant ignes, nisi quos ignientis Gradivi fax in incendia suscitavit præliorum, alium turbatæ fronti sub galeis pulvillum non quærunt, quàm cristas Martiales; aliam non expetunt quietem, quàm perpetuis excubijs sub gladio vigiles producere noctes. *Bylina*

Illis sub nivibus somni, curæq;, laborq;
Pervigil; hanc requiem terris, hæc otia rebus
Insperata dabunt quoties sub pellibus ducunt
Edonas hyemes & tardi flabra Böetæ. Claudianus.

Quantos Domus hæc in Domum *Skrzetuscianam* apportet splẽdores? quanta derivent lumina? nec ipse atror umbratilis paginæ referre valet. Tacemus quòd eos olim Principalibûs Mitrîs sublimes adoravit Gnesna; præsertim *BORISLAVM Bylina*, qui pro Sacra fide & negotijs Regni ad summum Pontificem CLEMENTEM V. agens Legatum, quatuor annîs confirmationem & causarum cum Crucigeris, tum Episcopo Rigensi decisionem expectando, obijt *Avenione*; quòd Senatorijs Lechia elevavit curulibûs; quòd infractos umbones in hostico locata vocavit Podolia; quòd Sarmaticæ, Masoviticæ, & sub montibus Vngariæ leges eruditos agnoverunt Solones? unum dicimus & vniversa narravimus, quòd Serenissimarum Majestatum in suam & *Skrzetuscianam Domum* inextinctum jubar reflexerunt; postquàm optimè meruerint. Et quàmvis *Byliniorum* merita & triumphi, satis decoris Tuo adderent *Ascensui*, *Illustrissime Præsul*, adhuc tamen injuriâ Tuum læderetur Nomen, nisi *Swięćicciorum Gentilitia Krzywda* Comes Tui deduceretur *Ascensûs*. Nullam hæc antiquissima Domus aliquando passa injuriam, dum pro suis meritis convenientibûs decoratur præmijs: imò affinitate sua & facili per *Gentilitiam Soleam* ad murices tramite totum fortunæ ad incitas redegit ærarium, quæ cùm ei ex æquo ingenita merita, compensare non valet, obærata *Swięćiccijs* in æternum se mancipium debebit obstringere, ne sit eis injuria; si *Swięćiecij.*

F enim

enim vellet Palatinîs se exsolvere honoribûs, *hos iam gesserunt Honores Swięciccy*; si Castellana obtulerit sedilia, in his iam pridem didicerunt sensus formare graves, si gemmas Regni signatorias expendere præsumpserit, has tractârunt; si Infulas & has emeritô sublevaverunt vertice *NICOLAI*, si Ducales Clavas ingesserit, his hostes Patriæ terruêrant; si deniq; Patrium thesaurum deposuerit majori pretiô gloriæ suæ, eundem adaugent *Swięciccy*. Orbe majus *Gawronsciorum Caput* Tibi se acclinat, quod nimis forsan injuriosè tractamus, dum unius periodi excipimus capitoliô. Superat hoc amplitudine sua protensa etiam ad ultima Thulen Augustalia; ipsum cælum vix latè patenti ambitu tanti capax verticis, ex quo fæcundiore partu quàm ex Iovis cerebro tot suscipit Numina, quot *Illustrissima Nomina Gawronsciorum*. Cedunt his ultro suîs astra sphærîs, Sereniores in *Gawronscijs* adorando planetas, quorum luminibûs fulgens Polonia, non immeritò affinem se jactat Polo. Ex uno *Illustrissimæ Parentis* Tuæ secundi voti *Marito*, dum mensuram splendoris Domûs *Gawronscianæ* colligimus, pupilla nostra tantis inassveta splendoribus, miratur virtutis *Gawronscianam* claritatem, ex qua Patriæ & orthodoxæ fidei semper lætior it dies; ut pleno ore sæpiùs illud cujusdam Pòétæ repetere sit dignum pòéma:

Gawronscij.

Tot Consos, Fabiosq; parit, Tibi Lechia cælum;
Nomina quot numerat, Gawroniana *Domus*.
Consilium, ferrumq; petas, nil illa recusat:
Vt potè quam firmant, hinc Manus *inde* Caput.

Insidens medio stemmatis hujus fortis *Amazon* extollere in æthera junctas ante se videtur Manus, quibûs alta Tibi acclinare vult fastigia, vel felicissimæ Inaugurationi applausus intentat excitare, vel sibi demonstrare quàm sublimia *Ascensurus* es dignitatum culmina. Seqvuntur fortunatissimum passum Tuum *Illustrissime Domine, Buderoviciorum Sagittæ*, in summo honoris Tui apice metam tangentes finalem. Nempe Avitum hoc telum, quod in barbaris scrutabatur mortes pectoribus, solum arcum exambit triumphalem, cui non alius color præter hosticum cruorem æternitatis gloriæ impresit symbola. Mersisset toties naufragîs syrtibûs scythicus exundans Bosphorus, vel ferrea diluvies Gradivi tempestuosam excitans procellam, nisi *Buderoviciana Sagitta*, inter has nubes tumultuantium bellorum arcum fœderis intenderet. Et verò alatum famæ pernicis remigium *Sagittam* hanc suîs instruxit pennîs, ut Aquilam Lechiæ sub concavum Othomanici volantem planetæ sequeretur. Adeòq; veritas pateret narrantium vatum *Sagittas* lumen solis aliquando obscurâsse, quando & hæc *Avita Sagitta*, Turcico sideri non semel extingvere cornua attentavit, quæ in nostram ruinam attolebat. Nescit

Buderovicij.

quippe

quippe volatica *Buderoviciorum Sagitta*, aliud centrum appetere; se intenso virtutis nervo propellente, quam vel quod hosticæ obiectant frontes, vel debita sublimant fastigia. Non refodiamus vel ipsô *Sagittæ* hujus stylô tot Purpuris rubentes *Buderovicios*, Antigoni sunt pro honore. Illis *Patritius Annulus*, velut quâdam compede servituram obstrinxit fortunam. *Błęsczyniana Volucris* auspicato Tuo *Ascensui* ad *Illustrissimos Infulati honoris splendores*, bonos præmittit Aves *Illustrissime Præsul*, & quia magnitudo virtutis Tuæ sublimem necesse præoccupet clivum, utere hujus *Alitis* pernici remigiô, *Alas Alis* adde, & summis meritis conveniens tene præmium. Nec expavesce Icariæ sonitum ruinæ, hôc nixus adminiculô; *Błęßczyniana Ales* infra totíes æmulum sideribus relinquens olympum, sub ipsum solis evectus radium, indefessas alas sublimibus assvefecit; ideoq; vicinô adusta Phæbô, adhuc inspersum pennis circumfert atrorem; ejusdemq; *Cruces* non solùm Constantino Magno, sed etiam Tibi Maximo præludunt ad Triumphum CHRISTOPHORO. In quo virtutis gradu consistitis *Illustrissimi Błęßczynij*, facilè computamus ex bino *Crucis Vestræ* numero, licet alijs in trino vel in octavo summa perfectio est. Nunquàm meliore fulcro integritatem suam fulcire potuit Sarmatia, quàm *Vestæ Crucis* subnixa laborô. Distulit illa toties hoc signô salutiferô à Mæothide scythica consurgentem bellorum tempestatem. Quolibet anni tempore Patritium spirantia virtutis, meriti, & Magni Nominis odorem *Pawłowsciorum Lilia* cum splendidissimo propensionis candore suum explicant florem, ad fulciendum *Lilijs Ascensum Tuum*, ut videat orbis quia cum integritate vitæ huc advolasti; eorum quoq; *Sagittata Columna* Tuis meritis plus ultra honorum inscribit. Plenissima hæc Domus in Palatinatu Posnaniensi favoris & pietatis erga nostrum *Posnaniense Monticellum* multa reportare speret à nobis obligationis & gratitudinis timiamata. Hîc adest trabeatus *Piaseccıorum*, Purpuratus *Kozubsciorum*, in laticlavijs *Vieysciorum*, decorus in togis, sago, & chlamidibus *Sędźimiriorum* ordo, unusquisq; suum apportans trophæum. Imò omnium *Soleatarum Domorum* Te comitantur laudes, quæ nunquàm ad suum ascendissent honoris fastigium; nisi *Soleas*, gressus ad hoc facientes, (o) primus invenisset *Accipitrinus*. Horum patritiæ decus *Soleæ* barbaras premendo cervices, non titubante gressu, quia horridîs armatum uncîs, Geticam aut Moschoviticam perseqvendo feritatem, sub frigidam Arcton, *& qua bruma rigens ac nescia vere remitti adstringit scythicum glaciali frigore pontum* excurrebat. Non gravat *Ferreum* hoc *Insigne* Illorum Indolem, quin possint vel in arenam bella-

Błęßczynij. *Pawłowscij.* *Piaseccij.* *Kozubscij.* *Vieyscij.* *Sędźimirij.*

F 2

(o) OKOLSKI, PAPROCKI *sub Iastrzebiec*)

bellatoris Gradivi, velociori subsilire pedemate; vel in purpuratos dignitatum gradus, eluctari. Vnde si in hac *Gentilitia Tessera* splendorem observas in acie bellica expolita, longo splendescit abusu. Si rubiginem notas; hanc illi cruor inspersit barbarorum. Quantùm gloriæ præstat Metellus noster Sarmaticus, *Ales* inquàm Tuus *Antistes Illustrissime*! qui præter naturæ (p) (cùm sit aureus) splendorem, egregijs dotibûs ab animo & fortuna cumullatus, ad illustria gesta maximarum etiam Familiarum sangvine decoratur, nominibûs pennatus; qui Domui suæ tot purpuras Regum decus, quot aliquando Cyneas in VrbeRomana, & in Civibus Reges numerat: tot Viros Consulares, Prætorios, Censorinos, & Triumphales etiam, quot Illustres & magnanimos affines. Imò quot ab Illustrisimis Proavis, Atavis, Avunculis, Fratribus, Nepotes, Filios, ad Senatoriam Prætextam, ad Consulares Togas, ad Pontificales Tiaras, Patriæ æterna decora produxisset. Tantîs ergo circumfusus & comitatus decoribûs *Præsul Illustrissime* progredere, nos ad Tuum descendimus, ad *Illustrissimos Infulati Honoris splendores*, *Ascensum*, & quàmvis tunc maximè livor fremere didicit, quando emeritam virtutem novi stipant honores, Tibi *Illustrissime* nemo invidet, impedit nemo *Ascensum*.

(p) OKOLSKI, PAPROCKI *sub Iastrzebiec*)



TRI-

TRIUMPHUS III.

Illustrissimum Antistitem, Inter Illustrissimos Infulati honoris splendores SISTENS.

HActenus per coronata multorum desideria, per submissa *Minorum* vota, per Augusta sangvinis Tui decora, & Trabeatum Domûs Patritiæ muricem, impar tantis curulibus Processit svada, donec post adoratos *Majores* ad Te Magnum veniret *CHRISTOPHORUM Illustrissime Domine.* Vivunt Illi in Te acerbo funerum deplorati luctu, vivis Tu in illorum mortibus posthuma Avitarum virtutum Icon; ut vel omnes immortales sint, vel Tu, immortalitatem singulis dedisse videaris. Septem prono annorum cursu abierunt & ultra sæcula, quanta temporum abyssus! à quo sub *BOLESLAI Chrabri* Regnatore sceptro Domûs Tuæ exorti splendores, *Sarmaticæ Aquilæ* pupillam everberant nitore luminum, adhuc tamen inter tantas ætatum umbras lucet *Accipitrinorum* inextinctum jubar, cui Tu in medio Parcarum occasu accendis meridiem, *Illustrissimus.* Quidquid enim profunda fati oblivio per *Antenatorum* Tuorum Divos obliteravit cineres, totum gloriosiore meritorum typô refricas, *Avis* decorus, *Ales;* *Avorum* decus. Dedisti in Te documentum orbi, quòd extingvi nequeant à stirpe præclara, traduces ceræ si non obscura Filiorum nutriantur indole; stringit quidem liberalis in cædes humanas Parca lethali ictu minacem chalybem, stringit fatale ferrum, sed non adversùs illorum vitam, quibus aurei Nepotes successerunt. Morienti Parentum gloriæ, Patres sunt Filij; quoties in illis renascitur hæres fama. Quòd *Skrzetusciorum* cælum Nominis inconvulso stet fixum cardine, non Mauritani Gigantis brachio, sed Tuis debet viribus *Atlas Illustrissime.* Te uno magnus ille sangvinis Aviti vivit spiritus, Tu unus anima es *Skrzetuscianæ* immortalitatis, in Te velut in Gratiani pectore, omnium respirat vita, ut Plinianæ illius assentationis hyperbole, in genuinæ veritatis convertatur documentum: *Vitâ Tuâ omnes fruimur, nec animarum nostrarum, sed Tuus in nobis spirat vigor.* Vix enim incepisti vivere, iam vitam saluti dabas Domui; prima

Dies quæ Te hominem effudit orbi, æternitas fuit *Skrzetuſcianæ* gloriæ; jîſdemq; Tecum convoluta faſcijs maxima Majorum creſcebat virtus, canuſq; Avorum honor cunas ingrediens, ſupercilij & rugarum oblitus, illi Tecum præluxit immortalitati, quam Tua pollicebatur indoles; ſpem eventu conſeqvente. Porro tantus ſtatim in aurora fuiſti, ut ſi ter centum ſæculis adultæ Platonis dies Tuæ Nativitatis Phoſphoro conferantur, umbræ erunt; & velamina tenebrarum: ad Tuas cunas, velut ad immortalis gloriæ Majorum Tuorum ſtandum eſt, theatrum. Attonita in Tuo ortu quòdammodò natura, oblita eſt genituræ humanæ legum, quando ſimul infantem, ſimul magnum (cui non æquarentur maximi) genuit *CHRISTOPHORUM.* O quàm pulchrum eſt unico nomine, & orbem & ſolia tenere; ſe faſcijs, populos legibûs catenare. Modò primùm habere nomina, & Magnorum titulîs accenſeri. Hoc Tibi Nomen emanavit è ſcaturigine fontis luſtrici: Sacramentô iam obligabaris ad magnitudinem, quã nunc Magnus *Skrzetuſciano* ſangvine, Major Tuîs virtutibûs, Maximus Te ipſo, exhibes *Antiſtes Reverendiſſime.* Alij per gradus & intervalla annorum conſummatam hominis implent perfectionem, infantiam pueritia, pueritiam juventus, juventutem adoleſcentia, adoleſcentiam virilitas, virilitatem ſenſuum & prudentiæ Academia ſenectus comitatur. Tu uno paſſu omne hoc ætatis humanæ tranſcendiſti ſtadium, ſtatim *CHRISTOPHORUS*, ſtatim *Magnus*, ſtatim Majorum Magnitudo. Nimirum etiam de infantum lachrymis Illuſtriſsimus honorum Titan emergit, quibus vel virtutis vel Illuſtrium Natalium aurora illuxerit. Accipimus documentum. Luci mortalium Te intuliſti magnæ ſpei & votorum *Infans*, & iam Domum Tuam Solarijs implebas. Vt videmus præſagij futurorum ortus, conſecrantur honoribûs, Tiarîs attolluntur, Illuſtriſsimîs deniq; eminent ſplendoribûs. Confudiſti initia naſcendi magnitudine, còëgiſtiq; nos dubitare, utrũ, qui ſimul & ſtatim tam magnus fuiſti, aliquando inceperis! Mirata eſt ſe talem edidiſſe natura, & niſi edidiſſet, deſperaſſet, talem edere ſe potuiſſe. Tunc demum aſpexit manus ſuas natura, ſeq; ipſam & vires ſuas de Te interrogavit, fuitq; ei difficilimum; de tanto ſibi opere reſpondere. Non humiles Tibi *Maximo Infanti* ſternebat Lucina cunas, ſed futurorum præſcia, tenerum corpus in purpurea ponebat Epiſcope. Vix Te mortalium exhibuiſti aſpectibus, viro ſimilior viſus quàm infanti, prodigio proprior, quàm homini *CHRISTOPHORUS.* Scilicet auguſta virtus nunquàm immatura eſt, triumphat in cunis cum Hercule, cum reptante Stillicone ſpolia numerat. Vnde jactet ſuam Affricanus Affricam, oſtentet adjudicatum Torqvatus torquem, Dentatus nomen à dentibus eruat, Cicinni, Cicinnatum

Nomen Illustriſſimi in Baptiſmo, Chriſtophorus.

tum coronent, Corvus Corvinum ornet, Fabius à Faba ducat originem, Scipio scipioni debeat primordia; Tibi Maxima à Magno *CHRISTOPHORI* debentur Nomine. Bonîs avibûs educatus *Ales* statim virtutem cum lacte bibisti, quasi Matre innocentiâ educatus. Cùmq; adhuc Maternum suxisses pectus, jam pietatem devoraveras; illa tantùm puerorum gestabas lenocinia, quæ pietatem sapiebant. Impleverunt sinum Tuum maximæ dotes, priusquàm eas recipere posse, crederetis. Tarda corporis incrementa superabas virtutibûs, id unicè in voto habuisti, ut probitas emineret. Diceremus juratum Tibi cum Harpocrate silentium, nisi prius virtutes, quàm verba exprimeres. Quantùm est bonis nasci de Parentibus! Illi de Te sanctiora concipere vota poterant; Tu exequi. Literarum ingressus aciem in ipso ætatis Tuæ flore omnibus præripiebas herbam, sequi Te triumphale erat, non assequi, gloriosum. Currebas *Magne CHRISTOPHORE* (ut olim Magnus coram Macedonia, parvus corã Te *ALEXANDER*) currebas ad bravium cum Senatorijs, Regijsq; collactaneorum conatibus; nullus tamen præter Te coronam reportavit, satis existimans stadio tecum interfuisse, cùm ad metam venire præ Tua alacritate non liceret. Prima studiorum germina *Iagellonico* Sarmaticæ gloriæ consecrasti *Lycæo* florentissimam in Septemtrione *Almam Matrem Academiam Cracoviensem* (quæ Sacræ Augustæ & Vaticanæ Sedi, & Sarmaticæ ingentium trophæorum victorijs onustæ Genti, meras Martis Bellonæq; lubentinas, ipsîs hostibûs formidanda firma excelsarum virtutum firmamenta & prodigia subministrat) adijsti; ac primîs labrîs uberrimam scientiarum Hypocrenem non prægustâsti, sed penitus absorpsisti! & non stadia solùm accuratius inquisivisti, verùm etiam intemperatos mores & lusus parium Tibi puerorum sanctitate quadam & verecundiâ, fortior olim impugnandæ impietatis Achilles arcuisti & temperâsti. Alij etiam in scirpo experti nodum, necdum immersîs profundo conatibûs, sicci Iasones promærium repetebant; Tibi omnem sulcare fluctum, nullam non lacessere charybdim, cuilibet ocurrere scopulo, intra gloriam stetit, & profectum, Iamq; Te invasissent pacatæ Togæ & egregijs dotibûs & sangvine Illustrissimo candidatum, nisi adhuc vel teneritudo annorum, vel doctæ Palladis umbo defensaret: jam dignitarios fasces manibus insererent, nisi calamus scholasticus vel Parnassi verbenæ præpedirent. Nunquàm Augustiorem quamvis fabulîs & antiqua superstitione senex Iupiter in cerebro suo Majestatem situavit Minervæ, quàm Tuus vertex; nunquàm vibrantiore Apollo coruscavit radio, quàm frons Tua prompto acumine; ubi quodlibet verbum, aureum excessit valorem, quælibet dictio, pretium ademit unionibus. Vnde non invi-

In Academia Cracoviensi studuit.

invidemus jam fulmineos Græciæ Pericles & Demosthenes, postquàm illi ad excutiendum lingvæ vitium scabrosum prægustare debuerunt lapillum; Tu non ex Erythreo mari, sed ex fontibus Rhetoricis tractam gemmarum supellectilem, inexpollito verborum decore ostentasti. Quicunq; pueritiam & maturitatem judicij Tui considerabat, naturæ ordinem mutatum admirabatur; quæ Te prius Virum, quàm Iuvenem, (ut diximus) declarabat. Grandes honorum tituli tarditatem redarguebant, quòd nondum ijsdem suppar evadebas. Sed erit tempus, quando pleniore laceto, longas adæquabis Togas; venient brevi illæ Calendæ, quas imbutîs scientia Gentilitijs calamîs, implebis. Erit, quando A V-G V S T V S II. primos in Te effundet favores, erit, quando inter *Illustrissimos* resplendebis *honores*. Ibis Giganteô passu ab Heliconijs cytharis, ad Cursum Philosophicum; à Gymnasticis præludijs, ad Theologicos actus; à Parnasso, ad Doctoralem Exedram; à proscenijs, ad Episcopale Theatrum. Neve tamen doctrinæ Tuæ subtilitati quidpiam deesset, illam à *Minoritico Franciscanorum* Instituto subtiliorem reddidisti. Paterna Domo extulisti pedem, ubi Te omnes efferebant, miratiq; inter se natum, qvem supra se sciebant. Quæ calcabas domi limina, à Tua se magnitudine deprimi gestiebant. tamen per hæc reptasti *Puer* Soleîs Gentilitijs, ad *Religionem Franciscanam* iter arripiendo. Primam ætatem, quâ alij sæculo, alij facili in præceps juventæ, Tu pietati, Tu Superis consecrâsti. In alijs adhuc à teneris educant fastum incunabula, honoris ambitionem, pronaq; talium in omne probrum adolescentia; Tu verò sic eminere solebas, quasi Te ipso Minor esses; ideò *Minores* Tibi elegisti. Porrexit exporrectam manum *Seraphicus Pater*, eripuit de laqueis sæculi sui Ordinis quondàm coronam. Triumphaturo Tibi de sæculi fastu fortior, quia *gemina Manus* victoriæ palmam extendit. Immortale hoc etiam in Te *Illustrissime*, qui ut servares innocentiam, licet primos, jam totos adolescentiæ annos; in triumphum duxisti. Superavit Te annîs Annibal, non animô. Momentîs computabas victoriam, cæde hostium animæ, triumphum; qui innocentiam oppugnant. Superavit Sagontium Annibal, Scipio Affricam, Minotaurum Dedalus. Solus Tu orbem duxisti in triumphum. Pulchrum ac immortale hoc

Intrat Religionem nostram.

Mens circumflua luxu,
Noverat intactum vitiô, servare vigorem. Claudianus

Parem Te putare poteras Macedoni, cùm unâ manu orientem Vitæ æternæ, alterâ excepisses temporalis, occidentem. Et quàmvis Te *Illustrissimi Parentes* (quia unicum Domûs suæ solatium) diu in deliberationem ducebant, Tibi ipsi festinationem imputâsti; & meritò dum *Doctorem* Laureis, Infulis *Antistitem*, negabant.

bant. Ad infima evolasti, sed semper splendidus. Desijsti mundo vivere, ut toti Orbi viveres. Ad ima Te demisti, ut in altum virtutibûs eò magîs proveharis. Et hæc sunt Tua, virtutis rudimenta *Illustrissime Præsul*, quibus (si summos etiam superare voluisses) nihil præter ætatem addere opus fuerat: ubi tertium vel secundum super decimum (planè fortunatum) attigisti annum, DEO Te mancipâsti in *Seraphici Patris nostri* familia, *Seraphicis* donatus titulîs, *ADRIANVS* didicisti pulchrius novus ignescere *Tuorum Parentum* Phænix, cùm fueris *Ales* Aram Tibi elegisti, Nidum, *ADRIANVS Aranidus*. Intulisti Ordini nostro vitæ sanctitatem, integritatem in exiguo corpore animi, credebantq; universi unicum Te, vel æternitatis Filium, qui tantîs virtutibûs emicabas. Pauperis *FRANCISCI* amplexus vestitum, Ejusdem in cinere quærebas vestigia. Per calcatum incedens orbem, cucurristi ad bravium salutis. Ergo antiquas Archimedis in cinere antiquitas non iactet figuras, nam ubi Archimedes cineri digittum, totum Te ei consecrâsti. Exinanivisti Temetipsum, dum sola reliquisti inania; *Franciscanô* illaqueatus funiculô, metiri non terras, sed Te Ipsum incepisti. Gigantibus indixisti aciem, ab insolito cingendi modo, sacer inter *Minores* Fundibularius. Ac tandem finitô Tuæ expectationis non probationis (cùm fueris probitatis Alumnus) annô, unanimi omnium votô, votîs obstrictus es; dum totum Te DEO vovisses, totum etiam in specimen devovisti. Suspexit in Te Neoprofesso, Theologorum hujûs Conventûs Collegium, Gratiam; Ethicorum, mores; ipsam transcendentem naturam, admirati Physici; verbô dicamus, viva virtutum in Te simulacra, non tam Apelles, quàm Religiositas depinxit. Verè in Te celerem intra tam modicum temporis spatium, spectatæ virtutis cursum, sparsa gemmarum compositionis monilia, & pretiosos modestiæ vniones, legebant Superiores. Ne hôc tamen solùm exemplô tam rarô, tamq; efficaci cæterîs præivisses, comitem vocâsti Tibi sapientiam: probè gnarus, quàm ad rectè gerendum, vel potius rectè vivendum, plurimùm studiorum conferat necessitas: quæ tum demùm veræ virtutis ingenerant homini desiderium, cùm multùm absunt à vanitatis otio. His primùm annorum in Religione cunabula, & ætatem illam, quæ sua teneritudine in otium labitur, quasi rectiori obrussa fulciendam muniendamq; statim censuisti; ut scilicet priusquàm illum optimum colorem à virtutis purpura laudabiliter assumeres (pulchrior enim hæc comptior, & per doctrinam fortior) bonô literarum succô ab optimis Præceptoribus mentem & Nobile pectus imbueres. Aliter enim quis crederet sine literis & scientiarum auctoramento, cætera quoq; illa bona, quæ ab hominibus magni æstimantur posse consequi?

In Religione Nomen Adrianus.

quæ cùm adventitia sint, & externa corporis ornamenta, illæ solùm in animo generoso summum & æterni illius æterna bona. Quasi verò suaptè naturâ potens Achilles clypeô Argivô & non ab istis haberetur? Hæc est humanis actionibus meta proposita, in cujus summitate surgit magnæ solidæq; laudis magnum ac perpetuum decus. Ergo præmonebat animus, ut ab ijs omninò perdisceres, quæ mox non percipere tantùm, sed agere deberes: & illis etiam Tua submissione haberetur honos, à quibus verus honor in omnes. Velut studiosa apis in doctioribus libris flores indagâsti, è quibus mella sapientiæ legeres illustribus ceris infundenda. In literaria arena sepelîsti omnem ignaviam, & ne sua pompa funeri deesset, millenas faces accendisti, ad quas millenas frangebas noctes. Iuvit docentium industriam discentis ingenium, facilè fuit inclinantem de bono naturam regere, quæ semina institutionis promptè in imum animi fundum exciperet, in tantùmq; posthac excrescerent, ac si repetito Persarum more, erudiendum suscepissent quatuor lectissimi, *Sapientissimus, Iustissimus, Temperantissimus, Fortissimus*. In tam sublime profectûs fastigium non alio præduce, quàm *Admodùm Reverendo Patre Magistro VALERIANO Karwacki*, protunc Regente Tuo evolâsti: sub quo statim in primo studij Tui occursu, immortale scientiarum demonstrabas argumentum. Concludamus omnes, quàm facilè illi de aliquo disputare erat, tam facilè Tibi intelligere. Prima sub hoc posuisti rudimenta eruditionis, neq; enim erudiri potuisti, nisi à magnæ æstimationis *VALERIANO*. Amicam Tibi credebant omnes fuisse ejus sapientiam, qui Te unicum inter alios semper ad suum admittebant latus. Nemo illius amori Te vicinior videbatur, quod pretiosum habuit, hoc est suæ doctrinæ volumen; Tibi aperuit. Profecisti multùm *VALERIANO Professore Illustrissime*, nec invidebas Achilli, quòd sub Chirone Leonum medullîs aleretur: ipsa etiam viscera affectûs *Regentis Tui VALERIANI* amantissimus depastus es *Discipulus*. Nec solùm tamen venerabunda *Alma Provincia Polona* suspexit elevatæ mentis Tuæ fastigium, in tenera ætate, etiam exteræ nationes stupuerunt. hoc est exterarum quoq; *Academiarum Religionis nostræ* Oceanos, non quantùm ebiberes, sed quantùm ingenio moribusq; sufficeret; adijsti: sancitum ut in alijs ignibus cum suo *Accipitre Polonia* arderet, & in *Minore* Maximum adorarent nationes. Cum applausu prævolantem suscepit *Italia*, non tam *Polonum*, quàm *Seraphinum* è Polo. Sed ad quid adijsti? parum id erat, nisi quoq; ad gustum & satietatem non primîs duntaxat labrîs, sed plena orexi avidè abstrusiora Doctorum ingenia deprompsisses; scilicet illi qui gemmas vel aurum quærunt, non summam terræ cutem vel arenam tantùm leviter

Professor Illustrissimi in Religione A R.P.M. Valerianus Karwacki.

In Italiam profectus.

restrin-

restringunt ac evellunt, sed in viscera etiam penetrant, pectus imum deijciunt, & sui totò demergunt verticem: sic Tu aurum & gemmas scientiarum quæsiturus, non unô solùm impendiô, non levi laboris sentamine accessisti, sed multarum noctium vigiliâ cum Cleanthe, magna ætatis parte cum Socrate, nec cum uno Chyrone Achillico, sed cum tot Magistris, quot *Italia*, *Bohemia* præcipuos apud se haberent, longioris temporis cursu sæpè profluenti in lucubrando sudore promptus animô invenisti, collegisti. Onerasset putamus tantæ operæ negotium alios, qui simul ut sapere incipiunt, nauseante animo ad literas, in præsumptionem acti levissimam, sapere nolunt. Alius hic avidam tantùm falleret aut restringeret ingenij sitim. Tu in eo honestissimarum artium studio, tanquàm in stadio eò admirabilior currebas, quò meliorem animam nactus, non prius Tibi desistendum putabas, quàm onustâ pulcherrimarum artium Argô, non vano vellere dives ab illa Colcho, in nativæ Provinciæ & Inclytæ Domûs pretium Iason remeasses. Sciebas hæc ornamenta tanta in Prætexta juvenili, uberem segetem gloriæ Religioni allatura, & ad sublime bonum immensum calcar roburq; futura; quibus ne suus deeflet valor, illud decus Divorum, raro cum literis sociatam modestiam cum pietate junxisti. Adflavit animum non à voluptate succensus, sed à natura pudor inditus, candore niveo innocentiæ, qui Te in eo passu, non prius animi securum sinebat, quàm sarcinas illas, & lacunas grandes ituris ad virtutem obices, fastum ingenij, lusum & luxum adolescentiæ, abs Te abegisses; tam forti quidem & circumspectô animô, quàm sic nusquàm Ittacus ille Vlysses Cyrcea illectamenta. Hîc primùm exteri viderunt Soles, quàm dignos non ad fulmina duntaxat portanda, sed etiam ad lauros gestandas nutrit *Aquila Polona Pullos*, monstratum in Te exoticis censuris, quòd parùm habeant *Sarmatica pectora* ipso Gradivi ferventiùs ardere æstu, nisi & doctioris Phœbi caleant incentivô. Eiecta malevolo livori festuca, quâ Lechicæ splendoribus offensus gloriæ, obliqvum identidem compungebat oculum, quando singulorum in Te pupillas, omnium ora convertisti: illud in Te legentia *& ferrô, & aureis triumphare ingenijs, Polonum est.* Quidquid in Tullio torrentis facundiæ, in Plinio conditæ ad gustũ dulcedinis, in Cynea molliter instillatæ gratiæ, in Isocrate fulminis, & tonitrui, veneratur divisim antiquitas; totũ in Te collectum Italicæ Musæ adorârunt. Mirabantur exteri sub rigida natum Parhasside dicendi fervore omnium accendisse animos, ad ea quæcunq; disertô svadebas eloquiô. Quibus dum monumenta Tuæ relinquis memoriæ virtutem & doctrinam, Doctoralis Laureæ Candidatus ad septem Quirini commigrâsti colles, Augustissima Religionis Orthodoxæ promontoria. Tum verò hîc *Romam venit.*

rò hîc enituit qualis, cum quanto Gentis charactere, quâ dignus laureâ adveneras *Præsul Illustrissime*, postquàm in speculo illo totius orbis comptos jam & sine calamistro egregios mores, pulchritudine probitatis, atq; literarum cultu decorâsti. Fulminabas eloquiô, melius non tonabat fulgur energiæ Demosthenes. Ligatæ svadæ incòéxercito rapiebaris torrente, Mantuano Papinioq; pessulus ad lingvam, & rosa eras. Aristotelico immersus EuripPo, nodos omnes quos Stoa aut Peripatus intricavit argiva, subtiliùs quàm incisore Macedonis acinace præscidisti, resecuisti, divisisti, *Scotista*. Mater fidei nostræ *Roma*, & ingeniorum propago, quidquid in scientijs exquisitum, in moribus honestum, in raritatibus arcanum, in virtute Divinum habuit, non tam Tibi instillavit, sicut plenô in præstantissimas Tuas dotes infudit Tyberi. Et ne absq; apparatu triumphi, in spinis Logicæ, in asperitatibus Theologiæ, in arduis scientiarum salebris occurrentium difficultatum, aliquot annorum debellator venisses in Patriam, & ut assiduus in studia fervor, lautîs vigilatarum noctium curîs exacuatus, insciam mortis immortalitatem saperet, tantarum virtutum Tuarum & scientiæ spectans principia, sancivit; ut ibi immortali coronatus esses Laurô Doctorali. O sapientia! Græcis vix decennium ad expugnandam Troiam suffecit, Tu verò brevissimo tempore de Romana sapientia triumphâsti. Coronate ergo Triregna Romanorum, laureandam sapientiam! Tandem pari omnium votô in Doctorale fastigium evectus es, ipsa ad triumphos Tuos egrediebatur laurus, dum quòd hanc alij, Te laurus prætendebat. Proinde tali jam ab exteris fultus munimine, hîs à literis ornatus adoreîs, quid de Te expectanti Provinciæ? quid Domui Illustrissimæ? quid Consangvineis, Affinibusq;, quid Professorum Condiscipulorumq; voto, Fratrum desiderijs? quid Conventui nativo apprecanti? omnibus palam augurantibus solatij, decoris, subsidij, authoritatis, non addidisses? certè si è pollice licuit olim Gigantem Apelli indicâsse, hæc Te quantum ostenderent tam pulchra, tam ad omnes ingentia! iam tunc sidus quoddam terrestre habebaris, ad quod omnium oculi aspicerent, omnium ora loqverentur, manus contenderent, aspirarent animi, & Tu largissimè omnibus sufficeres. Multi enim à septennis Nili ostijs Crocodyli revertuntur, ex Affrica redeunt, Europam portant per orbem, non Ioves tamen, sed boves cum illa domû repetunt. Tu ab extero climate, quandam scientiæ Encyclopædiam reportâsti. Reversus es Vir omnium literarum, *Doctor*; cui cerebrô Pallas, corde Religio, manibûs labor prodière. Inclaruit per Te Aristoteles, ore Tuo loquebatur *Scotus*, summus & Philosophus & Theologus, eô subtilior, quia in perquirendis virtutibus sagacior, Tuis tamen in oculis grande nihil. Pietate & scien-

Doctorali laureâ decoratur

Revertitur in Provinciam.

ſcientiâ concinnatus, utra in Te major fuerit, virtus an ſapientia? nobis inſolutum dubium remanet. Platoni quondàm Syracuſas venienti, (ſi credimus Laertio) Dioniſius Tyrannus navem laureatam obviam miſit, jam è navi acceptum, ipſe quadrigâ vexit, ſummam Viri ſapientiam, hoc æſtimans cultu. Zenoni quoq; ob ejus probitatem morum, ab Athenienſibus ea fuit reverentia, ut apud eum claves Vrbis deponerent. Tanti juvat probè rectèq; inſtitutum eſſe, bono communi, quòd paratas ubiq; lauros, junctas in triumphum quadrigas, claves Vrbium recipiat, ipſos demum Reges, in ſui famulatum iviſſe glorietur. Aperuit Tibi tedioſæ expectationis morâ cor ſaucium Gentilitia *Ales*, ut te ſalutaſſet reducem, cum *Avita Solea* ivit obviam. *Zukowſciorum Materna* itidem *Solea*, ut non iviſſet ſed volaſſet ad Te excipiendum alas *Gentilitiæ Avis Patritiò* addidit *Ferramento*. *Signatoria in Illuſtriſſimis armis Virgo*, videndi Tui avida ſupra *Gavronſciani* ſtemmatis conſcendit *Caput*. Binîs *Byliniorum Gladijs* pugnabant inter ſe de Tuo regreſſu vota. *Illuſtriſſimæ Collegij noſtri Syſſkowiani Cynthiæ*, in perfecta plenilunij auge conſiſtentes, & noctis Tibi ſpargebant lucem, ad ſuæ diſciplinæ onera ſuſcipienda, brevi venturo. Iam ergo cum ſumma exceptus lætitia, primò *Neocorcinenſis* conſcendiſti *Profeſſor Cathedram Gymnaſij*, iamq; Tibi licebat diſputare cum Socrate, dubitare cum Carneade, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere, cum ipſo de primatu contendere Stagirita. Diceremus ſanè in reſponſis ibi erectos ſecundos Delphos, niſi puderet veritatem cum tanto viro conferre. Tantum ibi per Triennium Tui incolatûs accrementum feciſti, quantum non feciſſet Plato Numen Græciæ, ſi tercentum annorum ſpatiô, totidem altera ſæcula, canus elementarius adjeciſſet. Atq; ut prona, & neſcia ſtagnare flumina, curſum ſuum non ſiſtunt, ſed declivi feruntur Thetyde, donec advectum æquori infundant alveum; ſic neq; Tua indoles preſſô ſtetit immota veſtigiô, ſed eluctuatura altius, *Petricovienſis Conventûs* noſtri aſcendit colles. Indè *ad Lublinenſis Polonorum Areopagi*, *Profeſſor Franciſcanus* ſtetiſti limina, ubi ab omnibus *Sapientiſſimus* judicabaris. Sed non potuit adhuc unius vel alterius *Gymnaſij* adeò ſpatioſo ambitu ingenij Tui contineri amplitudo; Tantus jam eras, ut cum Macedone alium Tibi & alium locum, (ut ille alium & alium Orbem,) decreveris inquirendum. Moviſti invidiam *Conventibus*, litem de Te conſciviſti *Gymnaſijs*, ut vehementiore animorum deſideraretis voto, quàm ille, quem Chij ſuum vendicant, Salamini repetunt. Certabatur à *Conventibus* de Tua præſentia, ultro Tibi repandas ſinguli aperiabant portas, faſtusq; liminum erat à Tua *Solea* conculcari. Palma tamen penes *Cracovienſe Gymnaſium*

Conſanguinei de ejus reditu lætantur.

Neocorcini, Petricoviæ, Lublini Philoſophici Studij Regens.

Cracoviæ Theologici studij Regens.

relicta, eô vernavit gloriosiùs, quô florentiore Doctrinæ Tuæ adumbrata Nomine. *Skrzetuscij* Nomen, ut *Cracoviensis* audivit *Conventus* totô in lætitiam effusus *Vistulâ*, illius olim *Professoris* Tui *VALERIANI* gratam in Te coluit recordationem. *Conventus* hic pietatis ac ingeniorum splendore clarissimus, traxit Te *Soleatam Alitem*, ubi post ornatûs sui intuitum, solem justitiæ Theologicâ contemplatus pupillâ, docuisses: non auroram, sed Hesperum Musis esse amicum.

Illustrissimus Martinus Szyszkowski Episcopus Cracoviensis Fundator studij Cracoviensis.

Vt arcana sacratioris Theologiæ, solvisses dogmata, ad *Gladium* recurris *Fundatoris Studij Theologici*; ut gemmam hanc, quam profundò speculationis, altò abdidit mysteriosa arduitas, invenisses, venis ad unionem cum tam numeroso hîc *Professorum* cætu; ut post Minervæ Philosophicæ arenam, stabiliori scientiarum innitaris fundamento, & eô plura legeres, in percalcandis difficultatum spinis, voluminum folia, jungis Te *Szembecianæ Rosæ*. Magnus non Nominis tantùm elevatione, sed ingenij sublimitate Theologiæ Professor.

Collega hic Illustrissimi A. R. P. M. Valerianus Szembek

Nullum per *Academiam Lectorium*, nullum per *Conventus Religiosorum Lycæum*, nulla per urbem *Exedra*, quam Tuus non lustravisset *Illustrissimæ Alitis* oculus, animo singula ad gloriæ Religionis & æmulationis proventum traducente. Instar argumentosæ Apis, quæ florum circumvolans calyces aliquid delibat ex omnibus uni mellificio idoneum. Hinc postea Tuo etiam tota se determinavit Provincia ingenio, quem *Venerandi Diffinitorij* constituit *Consiliarium*: verè *Consiliarius* respõ-

Definitor Provinciæ.

sis obscuravisti Delphicum Tripodem, ut veritas, fabulas. Nunquàm non benè cessit, quod ex Consilio Capitis Tui processit; qui rebus ferè omnibus semper omnium consuluisti. Tandem postquàm sic optimè merueris, unâ omnium voce *Minister Provincialis Commissarius Generalis Almæ* hujus *Provinciæ* electus es,

Minister Provincialis.

cui etiam Ipse *Reverendissimus Generalis*, libentissimè hoc Regimen apposuit, approbavit; ut digna rectè factorum in animis suis perennaret memoria. Et justum: universa etiam virtutum supellex in juniore Sardanapalo perennatura videtur, hoc totum in Te provisum erat *Provinciali*. Minimè tamen unquàm Tibi ullos subministrabas honores, sat erat quòd *Minister* vocabaris, virtutum. Huic fastigio quantam vigilantiam, omnium virtutum comitatum intuleris! indè patet, quòd cùm tempus præfixum Tui advenisset Regiminis, omnium votis & desiderijs iterum ad aliquod temporis intervallum, *Minister Provincialis confirmatus es*.

Iterum pro uno Anno cõfirmatus. Commissarius ad alias Provincias.

Imò Religiosâ quâdam ductæ exterorum *Provinciæ* invidiâ suum Te expostulabant *Commissarium*, ubi sola bilance, omnibûs virtutibûs gessisti omnia; adeò jura ac leges propugnâsti Religiosæ observantiæ; ut ubiq; institutiones Tuæ Sacrum institutum, digesta præclara gesta, viderentur. *Vrbanarum*

Con-

Constitutionum columen, legum Religionis culmen, fuisti; dignus aliquando qui sedeas super sedes Iudicantium duodecim Tribus *Israël*. Sciebas enim nullam virtutem habere Principem, nisi omnes habeat. Tantus in hac videbaris dignitate, ut si vel ipse *Seraphicus Pater*, daret dignitatis suffragia, non alium optare & eligere vellet, præterquàm *ADRIANVM*. Nec Major etiam huic Augusto Religioso honori potuit contingere felicitas, quàm in Te eminere. Vndè æternitatis negotium esset singula virtutum Tuarum decora, posteritati; calamô deducere. Hoc sufficiat, quòd cùm fueris omnium *Pater*, omnium factus es omnia; omnium in Te traxisti amorem, inde charus summis, æquê ac imis, quando Nomen & Omen Officij adimplêsti; regendo, munere, exemplô, benefactîs. Placuit etiam Almæ huic Provinciæ, ut & singulis præesses, ideô particularis communitatis bis *Cracoviæ*, semel *Opolij* electus es *Gvardianus*. Auxisti hæc decora *Illustrissime*, non dignitate tantùm & honore, verùm etiam animi modestiâ, quâ supra omnes eminebas. Nemo certè Te Major fuerat, quando Te ad aliorum obsequia demittebas; scilicet magna virtus cùm se in sublime extulerit, & dignitate magnitudinis suæ ducit inferiorum obsequio non deesse. Morbô solabaris afflictos, putabas nimirum nunquàm Tuam pluris valere magnitudinem, quàm cùm eam malè valentibus submisisses. Maximè hîc contagiosa lue tabescentibus; quos vel ipsa horrebat natura, impendebas operâ, curam, & sollicitudinem; probâstiq; magnam virtutem ubiq; securam esse, nec illis posse nocere fata, qui virtute tutantur. Summa in Te ostendebas Superior omnia; summam prudentiam in gubernando, summam æquitatem in judicando, summam sapientiam in disponendo, summam industriâ in exeqvendo, summam constantiam in consumando, summam humilitatem in ministrando. In *Oppoliensis* & *Bythomiensis Conventûs* negotio, dum ad *Invictissimum Imperatorem CAROLVM* fungebaris legatione, optimè eis evenit, quia Tuo consilio nitebantur felici rerum eventu, quia Magni ingenij *Consiliarium* adsciverunt. Fregisti coram *Invictissimo Imperatore* omnem difficultatum glaciem; Gordiô ingenij nodô perplexiores negotiorû ambages dissolvisti. Semel *Legatus*, semper *Angelus*, ultra humana ibi gessisti omnia, humani erroris nihil. Polum Arcticum jungere Antarctico paradoxum; junxisti tamen *Illustrissime Astro Poloniam*, dum in *Austriæ* liminibus, *Conventus*, *Poloniæ* fœderasti *Provinciæ*. Felix legatio! ubi pro verbis sunt oracula, pro factis propè miracula. Diu cunctando venit tandem clavus ad Cæsarem. Si enim solem facimus honorem, quem virtus aurora præcedit; vel si solem dicimus virtutem, cujus umbra est honor; mereri illum non habere sudoris unionibûs, non sangvinis Avi-

Gvardianus Cracoviæ & Opolij.

Legatus ad Invictissimum Imperatorem.

 ti co-

ti coralijs parare voluisti. Puerorum est Patritio lacte album ad honores suffragium quærere. Magnis animis non per ceras dulcedo patet gloriæ, sed per saxa & silices, eòq; svavius sapiunt dignitates, quò acerbius sudoris sale condiuntur. Minor omninò est, cui solùm Majores suffragantur ad magna. Imagines Patrũ fumosæ mordent, non alliciunt honoris pupillam. Ferruginem contrahunt secures dignitariæ, si ex Illustri sangvine ad lucem publicam extrahantur. Avorum rugas non amat honor, quas in illis per vetustas Familiarum lineas origo descripsit Patritia. Citius gloriosis fastis quàm Fascijs exhibentur. Tibi cùm Genius sit ultra stantes in curribus Æmilianos sublimius, pro gradu tamen *Ascensûs* Tui virtutum cumulum elegisti; ut ad augem pervenires honorum, non fortunâ sed virtute comite. Parem Te tamen Majorum Tuorum honori addimus *Præsul Illustrissime*, ut qui magnis non degener meritis, Patritiarum Auitarumq; æmulator laudum Tuaptè natura extiteris, esseśq; genuinum Prothotipon & simulacrum Tuorum. Primùm Tibi in Ecclesia militanti pulcherrima illa Astræa disciplinarum in nativa Provincia, & alibi, cum idonea ingenij libertate, morum elegantia, Iudicij acumine, linguæ exoticæ facundia, ad non modicos *Serenissimi Regis* AVGVSTI II. favores assequendos viam aperuit. Nam præter hæc, quòd in *nostra Religione*, *Doctorales Cathedræ*, *Provinciæ & Conventuum Rectorem* cooptassent, *Serenissimi* etiam *Regis* (ut diximus) singularis in Te accessit propensio, qui Te eâ virtutum excellentiâ præditum, ad *Bacchoviensem* vocavit *Tiaram*. *Nativitatis Beatissimæ & Tutellaris Tui Divi ADRIANI* dies, aliam Tibi tulit per communicationem literarum quarumdam, Nomenclaturam; *Nominatus*. Sed quia plus Indoli Tuæ ingenuæ quàm suffragio honoris, & favori Magnatum credebas, recusabas digna labori præmia, nunquàm Tibi alio fænore deneganda. Quinimò quia quodam agmine derepentè inferebantur, compendiô ad hæc ire noluisti; parùm ducens generosæ menti in arcta & & non trita Majorum Tuorum vestigijs arena *Soleam* latis asvetam itineribus, *Illustrissimos Infulati honoris Ascendere splendores*. Fundebas lacrymas, amore Tuæ ductus vocationis Religiosæ, dum nuntiam favoris Regij recepisti literam. Nos has pro gemmis habemus Tuæ inserendis Tiaræ, quas pridem fluentis sudoris Tui intra literariam & virtutum arenam, deducebas. Flere tamen debebas *Illustrissime*, ut discant alij (præsertim immeriti) non adeò hilari animo appetere honores; humectari debebas, ut non mergantur alij in aviditate dignitatis. Flere debebas, quia & noster nunquàm risisset *Scotismus*, nisi risum illi, ideò; quia *Doctor Scotisticus* ad *Infulam* assumptus es, comparâsses. Miramur tamen novum & rarum ad fastigium iter, quô pauci ivêre, multi

Factus Nominatus Bacchoviensis.

Recusat Episcopatum.

multi in eo fastidioso laborum pulvere abstinuêre; novum dicimus; quia Tuum proprium, qui non proprio ambitu renuntiari, sed aliena necesitate, ut Religionis inservires utilitati, commoda Provinciæ prospiceres, censeri voluisti. Illud tamen fortè est & adimpleri debet, cujusdam Itali de Te adhuc operam studijs dante oraculum, quod lingvâ ignotâ effatum, notum se hodie facit. vidit ille Te & dixit: *Dignificandum Præsuleâ Tiarâ:* antequàm Præsul fuisses. Ponite iam stylum Oratores, silete Vates, nihil hic ausit Cyrrha vel Latium, cui longè illustriorem Vmbria laudatorem, *Franciscanum* dedit. Plinius Trajanum, Constantinum Nazarius, Pacatus Theodosium, Theodoricum laudavit Ennodius, postquàm omnes laudibûs suîs antiquiores essent: quod præstabiliùs est, adhuc Tibi *Iuveni Religioso Illustrissime* Panegyrim dixit *Franciscanus*; dixit *in Ecclesia militanti Episcopum fore*. Tamen adhuc renuisti *Illustrissime*. Verùm *Ascende* iam *Bacchoviensem Cathedram*, ad quam Tua Te pietas deducit; neq; enim aliter, quàm lacteâ virtutum viâ *Ascensum* tetigisti. Si testimonium probatisimæ requiritur Vitæ Tuæ; licet in ore duorum stet hoc vel trium, unus *Asciatus* stetit pro Tuo Nomine *Illustrissimus, Excellentissimus ac Reverendissimus Dominus B A R-THOLOMÆVS in Cekarzewice TARŁO, Episcopus Posnaniensis*, & sufficit. Si & aliunde petitur, dabit Religio: in quo, si vitam, si virtutes spectare est: Divinæ sunt. Hinc aut DEVS (cujus beneplacitô hæc Tibi offerebantur) aut DEI *Vicarius* esse debuit, qui Te ad hanc Tiaram cogeret; & sic est: *Sanctissimus Papa* CLEMENS XI. approbavit Te *Episcopum*. Iam ergo ex Theatro sapientiæ ad *Præsuleam Cathedram* Tecum Doctore Ordinis nostri deflectit oratio. Cælum dixisse deberemus *Ordinem nostrum*, vel magnificum honoris Palatium, ubi tot soles, quot Magnorum simulacra Virorum cum Phænicensibus adoramus. Dicamus de *Ordine nostro* (quod verùm est & non vanæ gloriæ) ivêre plurimi per summa Orbis decora: alijs tanquàm summis Ecclesiæ capitibus famulantur imperia, alij Cardinalitijs rubent Purpurîs, alij sanctioribûs Præsulum Tiarîs eminent, alios Doctorum præmia frontium, decorant adoreæ. Auxisti hunc decorem & Tu *Illustrissime*, dum *Doctoralem Togã Præsuleá* mutas *Purpurá*, & quia iam invenerat talem eminentia virtutum, declaravit Te tantùm *Sanctissimus Papa, Episcopum*; non fecit, aut creavit. Vidimus Te in summo sapientiæ fastigio, & adhuc *Summus Pontifex* ad *Præsulea Te fastigia Ascendere* decrevit. Maximum istud est à *Summo Christi Vicario* inter *Antistites* recenseri. Quanquàm non efferri debuisti, idem enim ad Te summîs ornatum virtutum splendoribûs, quod & ad *Illustrissimos honores* iter est. Et quem adhuc à teneris pinxerat verecundia,

Quidam Italus Illustrissimum dixit futurum Episcopum.

A Sanctissimo Papa CLEMENTE XI. confirmatus.

K crea-

creari *Episcopus* non debuisti, sed declarari. Inuenit Te hæc dignitas parem Regibus, Majorem Principibûs, virtute verò nemini æqualem. Cujus pretium, ita Cresi, Luculiq; superat opes, Midæ aurum, gemmas Cleopatræ, ut meritò in annulo Præsuleo ponaris. *Ascendisti* sive involasti in sæculorum encomia ex *Sex Seraphinis* Vnus, quibus ne Te innata animi modestia subduceret, *Alas* posteritati meritorum reliquisti. *Sex alîs* eguisti, ut tantos virtutis Tuæ efferre ad *Illstrissimos Ifulati honoris posses splendores*. *Ascende* felix & Ovile hoc de animabus juvandis posside, felix Tibi Tua virtutum vestigia, & nostra desideria parant iter. *Ascende* ut talem indè referas gloriam Religioni, qualem primæva ætate Ordinis nostri meruerunt in India *Franciscani*, teste GODEFRIDO (f) (*Franciscani venientes in novum Orbem primi duodecim, singuli Centena Indorum millia baptizârunt*) cùm sit Tibi singulari voto, etiam vitam in cineres redigere, (de quibus *Ascendis*,) ut æternus splendor Nomini Religionis nostræ appareat. Cæterum tam altum Tuis adfixos laboribus, admirantesq; copiosum virtutum splendorem, in Te amplissimîs lucentem radijs, alio vocat numerosa meritorum Tuorum gloria; quasi hactenus non sufficiat, ea in medium nostra pietate adduxisse, quæ omnibus singularia sunt & admiranda, nisi quòquè ultra mentem elevemus nostram, iamq; ipsum Tiaræ fulgidum respiciamus verticem. Adeò sumus avidi & lubentes sacræ Tuæ inter nos Tiaratæ præsentiæ, quâ plaudenti omnium incedis gaudiô: ut non magîs mentibûs, quàm æquè obtutibûs supra nos & infra Te inferamur; & quanquàm plurima præclarè factorum Tuorum insignia consultò à nobis præfari expediat; nihilominus quòd verecundiæ Tuæ sit ut velis illa præteriri, consentaneum putamus, Te non in alio quàm in Te ipso ad stuporem facundiæ nostræ legere. Etenim quid in Te non amplius videre quod verè sit Tuum non vocis nostræ, posimus! quid non cultu nostro, ex animo complecti sacrum & venerabile properemus? cur non sit æqvum Te talem nostrîs usurpare luminibûs, qualem ubiq; audire licuit? Oriris *in Bacchoviensis Cathedræ Tropico* vera virtutis Tuæ laude, velut inter sidera Phœbus resplendens, idest succedis *Herculi Bieganscio*, *Atlas* CHRISTOPHORVS, quantô omnium *Franciscanorum* bonô! quantâ *Provinciæ* hujus gloriâ! *Doctorum* ejusdem lætitiâ! *Patrum Conventûs Cracoviensis* gaudiô! quantô *nostræ Musæ* commodô! Emicat in Te calor ille vividus, *Avorum* Zelô fidei ardens, ad quem frigida multorum in Divorum cultum, sacraq; tutanda. Catholica incalescant pietate. Splendet ille benevolus pectoris candor, quô sæpenumerò invidorum deliniti vultus, in obsequium

Sex Patres Provincia ex quibus Illustrissimus ad Episcopatum assumptus, de quibus supra.

(f) JOANNES LUDOVICUS GODEFRIDUS *lib. 1, fol. 198.*)

um honestatis prodire. Fulget virtutum fæcundissima congeries, quia in exemplar efficax largissimô impendiô operam suffecturus, id etiamnùm persvadere possis, ut omnes unius moribûs, Tuîs (inter nos commoraturi) verè probîs, & sanctîs, vivamus. Deniq; cùm ille nobis auspico scandis *Ascensu*, Qui & bonitatem Trajani, & Antonini pietatem, & Augusti gravitatem in vultu Tuo *Pontificali* præferas, iam omninò hîsce ad nos emolumentîs illud confecutus es, quod alij impensè student; ut æquè *Provincia* nostra *suo Tutori* ac *Scotistica Cracoviensis Pallas* cum suis *ProfessoribusConservatori* gratiam impendamus. Imperatoribus certè ad novi honoris augurium, prodiga sumptuum *Roma*, ad pompam usq; & luxum, victimas cædebat innumeras; quod & illi Herostrato Romanæ libertatis, Caligulæ, factitatum fuisse; meminit Svetonius. Alijs ingentes Colossi, triumphales Arcus, & alia monumenta victuræ gloriæ supra miraculum posita; Tibi faustò *Ascendenti* ad *Illustrissimos Infulati honoris splendores*, non hoc cum illis commune: nec talem superbiam vanæ & sangvinolentæ affectas victimæ *Antistes Pijssime*. Non Te statuîs & colossîs, non arcubûs triumphalibûs: sed nostrîs affectibûs, *Manibûs Cancellatis*, calamîs scholasticîs, in hoc extollimus subsellium. Non mutas victimas, certô numerô collectas, ad onus publicæ communitatis: sed nos ipsos infinita votorum multitudine submittimus. Hanc talem submissionem, quam rudiori stylo, tàm Dignissimo Præsuli imus consecratum, justa exprimunt in omnibus vota. Subsiste modò *Præsul Reverendissime*, & Tuam nobis humanissimam explica dexteram, conijce splendentia lumina, & vide quanti & quales huc necessitate sua quisq; accedimus. Obviat Tibi *Sponsa Tua Ecclesia* encenianti: illa *Sponsa*, quam olim *Leo* suîs viribûs formavit; illa *Sponsa*, quæ inter Paganorum impetus protecta *Prawdziciorum mænijs*, ornata eorum *annulîs*: nunc demùm contra impiorum insultus Tuâ tutanda *Soleá*, munienda *Cruce*, protegenda *Alis*. Obviat *Sacer & Religiosus Ordo noster* per Te conservandus amore, protegendus favore, gloriâ illustrandus. *Lycæa* ac *literæ* & *literati Scotistæ* suo *Mecænati* obviant: unus quisq;, (alter etiam proprio nomine,) & re ipsa Fortunatos apprecans *Ascensui* Tuo dies. Tibiq; nos omnes *Franciscani* sedulò studemus, à Quo nos vividam accepturos non invitè speramus animam, & robur gloriæ. Habes nos ô *Antistes Illustrissime* ad omnia vinctos, omnium promptitudinem & propensionem vides: omnibus *Benedictionem* redde. Duc Tu quoq; precibûs Tuîs, præi amore, fulci spiritu. Benevolentia enim Patris, firmat domos filiorum: multò magîs nos Tua, (quondam *Pater spiritualis*,) *Benedictio*. Hæc nostra pro Te de-

precatio est, tàm æqua & honesta, quàm singuli Tuum venerantes Pastorale pedum, inclamamus, ad aram *Maximi, Optimiq; Pontificis, & DEI*, profundius ingeminando, sis felix ac

Longas ò utinam nunc bone ferias,

Antistes *vivas*! *Vive magnos sine nube dies:*

Et Tua decens ac veneranda facies canescat sæclis innumerabilibûs. Ita subscribimus apprecationi huic; quibus præter *Seraphicas Alas*, etiam submissæ venerationis & obsequij adsunt calami, *Cracoviensis studij Scotistæ*, & ut innumeris annis unum hoc ex quinario nostrûm numero, quinque literarum percipias, iterùm atq; iterùm repetitum pæan, *Vivat*; precamur.

Et quia submissa hac in panegyri, in aliquibus antecedanea remonstratur temporis circumstantia, præ majori supra præfixum tempus prolixitate ejusdem, transeat; attamem semper avidos nos, & omnes, fuisse scias *Illustrissime*, hujus *Tuæ Soleatæ Alitis* ad *Illustrissimos Infulati Honoris splendores* ASCENSVS.

34

1115.





Lect. 1, Noct. de
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia,* Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. *25. Maÿ.*) ... CA. Vesp. ... Cap. ...